DE

VOLVNTATE DEI

CONTRA

CELEBERRIMVM

WYTTENBACHIVM

COMMENTATIO PHILOSOPHICA

AVCTORE

IOANNE ERNESTO SCHVBERTO,

ORD. PHIL. IN ACAD. IEN. ADIVNCTO.

IENAE,

APVD IOAN. ADAM MELCHIOR,

M DCC XXXXIIII.

Digitized by Google

PRAEFATIO
IN QVA
TOTIVS ARGVMENTI RATIO
EXPONITVR.

Magnam inter nos et reformatae eccleſiae doctores diſſenſionem eſſe circa doctrinam de voluntate diuina, nemo, vt opinor, erit, qui ignoret. Haec inter, de quibus decertare nos iubet et veritas et religio, nonnulla ſunt, quae non niſi ab homine diuina colluſtrato reuelatione diiudicari poſſunt; alia vero, de quibus ſententiam dicendi et ipſa ratio poteſtatem ſibi vindicat. Et quamuis de vtraque argumenti parte a Theologis et Philoſophis noſtra-

rum partium hactenus dictum ſit, quod ſufficere poſſet, mihi tamen non defuit cauſa, hoc diſputationis genus per aliquot tempora quaſi ſepultum excitandi, et vniuerſam materiam, quatenus philoſophica eſt, noua ratione ac methodo pertractandi.

Quandoquidem Vir Celeberrimus dominus DANIEL WYTTENBACHIVS, Verbi diuini miniſter apud Bernates meritiſſimus, *tentamen* aliquod *Theologiae dogmaticae methodo ſcientifica pertractatae* haud ita pridem in lucem publicam prodire iuſſit, ac in eo totus eſt, vt non ſolum ea methodo, quae pleriſque recentioribus noſtris ſcriptoribus placet, ſed etiam ex illius philoſophiae, quae in ſcholis noſtris hodie docetur, principiis eccleſiae ſuae decreta firmet; illiſque fauorem et patrocinium noſtrum conciliet. Hunc enim finem virum modo laudatum vere intendiſſe, non ego ſolus ex ipſius verbis colligo, quibus arduam de praedeſtinationis decreto tractationem *Tom. I. Loc. IV.* §. 482. *Sch.* 2. *p.* 391. claudit. Sic enim ibidem fatur: *ſine temeritate affirmari poteſt, aut nihil eſſe, cuius ope proteſtantes in doctrina de praedeſtinatione reuniri poſſint, vt in oſcula fraterna ruant, quoad hancce materiam funeſtorum alias diſſidiorum hactenus cauſam, aut remedium huic malo inueniri in poſitionibus Leibnitianis de optimo mundo a Deo electo.* Intelligent ex his verbis lectores noſtri, autorem doctiſſimum non ſolum ad pacem et concordiam diſſentientes cogere voluiſſe, verum etiam ſibi viſum eſſe, huius pacis media in Philoſophiae Leibnitianae principiis inueniſſe. Quorum vero prius cum impoſſibile, et poſterius

rius a veritate alienum mihi videatur, operam me non perditurum eſſe, nec laborem meum prorſus inutilem fore, exiſtimaui, ſi ad examen cuncta vocauero, quae de voluntate et decretis Dei ex philoſophicis rationibus probare tentauit autor praeſtantiſſimus. Reliqua ex divina reuelatione hauſta, et ſyſtemati autoris inſerta, theologis diſcutienda relinquam, nec illorum mentionem faciam, niſi quatenus ad explicationem ſententiarum philoſophicarum neceſſum videbitur.

Ne quis vero de hoc inſtituto aliter iudicet, quam aequum eſt, duo praemonenda eſſe puto. Alii, quibus non conſtat, quae mihi probetur philoſophia, forte exiſtimabunt, me ex odio aduerſus principia Leibnitiana calamum ſtrinxiſſe; alii, qui norunt, quonam ipſe philoſophandi genere vtar, diſſimulationis me reum facient, arbitrati, me quidem omnia autoris, quem aggredior, placita adprobare, ſed ex contemptu nouae philoſophiae et praetenſa quadam orthodoxia lucrum capere voluiſſe. Hos igitur omnes praepoſtere iudicaturos, vt mei candoris conſcii fiant, ſcire volo, me quidem recentiorum philoſophorum inuenta magni omnino facere, ſed hactenus perſpicere non potuiſſe, ex ſyſtemate mundi optimi aut aliis illorum placitis haec peruerſa dogmata fluere. Imo vero plane perſuaſus ſum, ipſum doctiſſimum WYTTENBACHIVM vidiſſe, in hac ipſa philoſophia fratrum ſuorum hypotheſibus patrocinium fruſtra quaeri. Quod niſi compertum habuiſſet, non video, cur terminis, nobis illiſque receptis, nouos ſignificatus conſtituerit, controuerſiae

ſtatum plurimis locis non recte formauerit, et grauiſſimas res, quae nos in diuerſas partes ſecant, aut plane non, aut certe leuiori brachio tractauerit, ne nihil non dixiſſe videretur. Id dum primum animaduerti, pene in eam opinionem adductus ſum, quod ille nobiscum faceret per omnia, quamuis externis loquendi formulis, a ſua eccleſia receptis, vteretur. Intellexi tamen, eum aliquibus locis ſecus ſentire, quam ſanioris philoſophiae principia permittere mihi videntur. Atque id eſt potiſſimum, quod contra eum probare decreui.

Vt vero haec omnia iuſto ordine tractentur, animus mihi eſt, primo vniuerſam doctrinam de diuina voluntate, quae in controuerſiam vocatur, in nexu exhibere, idoneisque argumentis confirmare, tum vero et illius ſententias, quatenus a noſtris diſſentiunt, explicare, et in quo erraſſe viſus eſt, fideliter indicare.
Hoc igitur dicendorum ordine conſtituto, fiat

SECTIO

SECTIO DOGMATICA

IN QVA

VOLVNTATIS DIVINAE NATVRA ET AFFECTIONES POTIORES DEMONSTRANTVR.

§. I.

Deus cognoſcit omnia ſimul et diſtinct.

Quemadmodum voluntas generatim rationem ſuam in intellectu habet, et ab hoc quaſi dependet et regitur, ſic et de voluntate diuina nemo feliciter philoſophari poterit, niſi intellectus Dei ſufficiens praeſtruatur notitia. Hanc ob cauſam, et ne nimis prolixa fiat noſtra tractatio, breuiter et vna poſitione comprehendam cuncta, quae de illo notare finis et methodi noſtrae ratio iubet. Nimirum haec illa eſt: *Deus cognoſcit omnia, quae aliquo modo cognitionis obiecta eſſe poſſunt, ſimul et diſtinctiſſime.*

SCHOLION.

Demonſtratio datur in Inſtit. Metaph. §. 948. Et quoniam haec veritas ab vtroque noſtrum magno conſenſu admittitur, absque demonſtratione ſupponere eam licuit.

A §. II.

Digitized by Google

§. II.

Bonum et Malum reſpectu Dei quid?

Manifeſtatio gloriae diuinae, et quicquid illam aliquo modo promouet, reſpectu Dei bonum eſt; malum vero conſiſtit in obſcuratione illius. Vnde magnitudo bonitatis et prauitatis rei aeſtimanda eſt ex illius ratione ad ſummi numinis gloriam.

SCHOLION.

Demonſtrationem vide in Inſtit. Metaph. §. 990.

§. III.

Voluntas et Noluntas quid?

Voluntas eſt conatus ſpiritus efficiendi, vt aliqua res exiſtat; quemadmodum noluntas dici poteſt conatus ſpiritus alicuius rei exiſtentiam impediendi, ſiue efficiendi, vt non exiſtat.

SCHOLION.

Voluntas quandoque ſumitur pro facultate volendi, et tum ipſe actus voluntatis volitio appellatur. Significatum vero, quem modo indicaui, per totam hanc tractationem retinebo.

§. IV.

Ratio ſuff. voluntatis et noluntatis.

Ratio ſufficiens voluntatis, quam motiuum volendi appellant, eſt repraeſentatio boni, vt talis; Et ratio ſufficiens noluntatis, quam motiuum nolendi vocant, eſt repraeſentatio mali, vt talis.

SCHOLION.

Qui aſſertorum demonſtrationem deſiderat, eum remitto ad §. 608. Inſtit. Metaph.

§. V.

Deus habet voluntatem et noluntatem.

Hinc primo efficitur, Deo competere voluntatem et noluntatem. Quandoquidem cum bona et mala ſint cognitionis obiecta, vt nemo facile in dubium vocabit, vtraque a Deo quoque cognoſcuntur (§. 1.). Iam vero cognitio boni eſt ratio ſufficiens voluntatis, et cognitio mali ratio ſufficiens noluntatis (§. 4.). Quare, cum poſita ratione ſufficiente ponatur id, quod per eam eſt (§. 86. *Inſtitut. Metaph.*), dubium non eſt, quin Deus voluntate et noluntate gaudeat.

§. VI.

§. VI.

Voluntas Dei eſt ratio ſufficiens earum rerum, quae exiſtunt. Deus enim eſt ens illud, in quo continetur ratio ſufficiens exiſtentiae omnium rerum (*per déf.*). Haec autem ratio cum vere ſit actio (§. 83. 95. *Inſt. Met.*), ratio exiſtentiae mundi in Deo contenta debet eſſe affectio quaedam operatiua. Enimuero Deus eſt ſpiritus (§. 446. *Inſtit. Metaph.*) adeoque affectionem iſtam, quam modo dixi, aut intellectum aut voluntatem eius eſſe oportet (§. 763. *Inſt. Met.*). Si intellectus Dei illa foret ratio, omnia, quae cognoſcit, exiſterent (§. 86. *Inſt. Met.*), et ſic nihil, niſi quod exiſtit, poſſibile foret (§. 1.). Cum vero mundus ſit ens contingens, (§. 730. d. *Inſt. Met.*) adeoque praeter eum multa dentur poſſibilia §. 109. *Inſt. Met.*): nemo non videt, intellectum Dei rationem mundi exiſtentiae eſſe haudquaquam poſſe. Erit igitur voluntas eius ratio ſufficiens omnium exiſtentiarum. **Voluntas Dei ratio ſuff. exiſtentium.**

SCHOLION.

Quando vero voluntatem Dei rationem exiſtentiae rerum dico, ea, quae ſunt realia et ſubſtantialia., intelligo. Quemadmodum enim nec accidentia Deus creauit, nec defectus et priuationes realitatum, ita nec huius generis res a diuina voluntate dependent.

§. VII.

Interea tamen Deus multa vult, quae tamen nunquam fiunt. Etenim inter ea, quae nunquam fiunt, dantur etiam bona. Quoniam vero Deus bona quaenis cognoſcit (§. 1.), et horum quidem cognitio eſt ratio ſufficiens voluntatis (§. 4.), ipſe vult bona omnia (§. 86. *Inſt. Metaph.*). Inde ſequitur, Deum velle multa, quae nunquam fiunt. **Deus vult, quae non fiunt.**

SCHOLION.

Dari multa bona, quae nunquam exiſtunt, ſane nulla probatione indiget. Cogitate conſtantiam Adami, fidem Iudaeorum Chriſtum in crucem agentium, conuerſionem gentilium, et multa horum exempla habebitis.

 §. VIII.

§. VIII.

Voluntas efficiens et inefficiens quae?

VOLVNTAS EFFICIENS illa eſt, cuius obiectum exiſtentiae redditur; INEFFICIENS vero, cuius obiectum nunquam exiſtit.

SCHOLION.

Qua ratione differant a voluntate efficaci et inefficaci, ex harum definitionibus inferius tradendis patebit.

§. IX.

Vtraque Deo competit.

Exiſtentiae rerum a diuina voluntate dependent (§. 6.). Interim tamen et multa Deus vult, quae nunquam fiunt (§. 7.): *Ergo ipſi et efficiens et inefficiens voluntas competit.* (§. 8.)

§. X.

DEus idem ſimul velle et nolle poteſt.

Poſſibile eſt, Deum res, quas vult, certo reſpectu etiam nolle, et, quas non vult, certo reſpectu velle. Etenim res, quae in ſe conſiderata bona eſt, ſi ad varias circumſtantias refertur, mala nonnunquam eſſe poteſt, et, quae in ſe mala eſt, pro bona haberi debet propter annexas circumſtantias. Cum itaque Deus res omnes non ſolum, vt in ſe ſunt, ſed etiam in nexu cum omnibus circumſtantiis poſſibilibus intime et diſtinctiſſime cognoſcat (§. 1.), eandem rem, quam in ſe bonam eſſe iudicat, alio reſpectu pro mala habere poteſt, et v. v. Iam vero cognitio boni, vt talis, eſt ratio ſufficiens volendi, et cognitio mali, vt talis, ratio ſufficiens nolendi (§. 4.). Quare cum poſita ratione ſufficiente ponatur id, quod per eam eſt (§. 86. *Inſt. Met.*), Deus eandem rem ſimul velle et nolle, hoc eſt, rem, quam in ſe vult, reſpectu aliarum circumſtantiarum nolle, et quam in ſe non vult, reſpectu aliarum circumſtantiarum velle poteſt.

SCHOLION.

Si quis theſin hanc impugnare auderet, eum negare oporteret, aut res, quae in ſe bonae ſunt, per alias circumſtantias fieri malas poſſe, aut Deum non cognoſcere res tam, vti in ſe ſunt, quam, vti ſe habent ſub his vel illis circumſtantiis. Quemadmodum vero prius eſt contra experientiam, ita poſterius omniſcien-

Digitized by Google

ſcientiae diuinae repugnat. Ceterum probe tenendum eſt, Deum, quando res in ſe conſiderat, non abſtrahere ab his vel illis circumſtantiis annexis, easque ad tempus non cogitare. Res enim in ſe et in omni nexu poſſibili ſimul intuetur: vnde et voluntas et noluntas eiusdem obiecti ſimul exiſtit, quamuis vtraque in diuerſa eius conſideratione fundata ſit.

§. XI.

Quando Deus per voluntatem ſuam efficit, vt res, quas vult, exiſtant (§. 6.), multa tamen vult, quae nunquam fiunt (§. 7.), vtriusque voluntatis aliqua eſſe debet differentia. Haec vero alia eſſe nequit, quam vt obiecta, quibus voluntate ſua exiſtentiam largitur, nullo reſpectu nolit, ea vero, quae exiſtentia non donantur, alio reſpectu vtique nolit. Nam ſi ea, quae vult, neque tamen facit, nullo reſpectu nollet, aliud externum impedimentum accedere, atque efficere deberet, quo minus ad exiſtentiam perducerentur (§. 90. *Inſt. Met.*). Enimvero quoniam Deus eſt ens a ſe (§. 903. *Inſt. Met.*), adeoque independens (§. 397. a. *Inſt. Met.*), nulla externa re impediri vnquam poteſt (§. 396. *Inſt. Met.*). *Hinc manifeſtum eſt, Deum ea, quae per voluntatem ſuam facit, non ſolum in ſe, verum etiam ſub iis circumſtantiis, ſub quibus fiunt, velle, ea vero, quae vult, et non facit, in ſe quidem velle, ſed ſub iis circumſtantiis et propter illas, ſub quibus fieri deberent, nolle.* Differentia voluntatis Dei, per quam fiunt, et non fiunt, res.

§. XII.

Voluntas efficiens obiectis ſuis exſiſtentiam largitur, neutiquam vero inefficiens (§. 8.). *Hinc illa obiectum ſuum non ſolum in ſe, ſed etiam in eo nexu, in quo fit, vult, haec autem obiectum ſuum in ſe quidem, ſed non ſub et cum illis circumſtantiis vult, ſub quibus fieri deberet* (§. 11.). Applicatio ad voluntatem efficientem et inefficientem.

§. XIII.

VOLVNTAS DEI ANTECEDENS eſt voluntas obiecti in ſe conſiderati; VOLVNTAS vero CONSEQVENS voluntas obiecti cum iis circumſtantiis, quibuscum connexum eſt, ſpectati. Voluntas Dei antecedens et conſequens.

 §. XIV.

Digitized by Google

§. XIV.

Vtraque Deo competit.

Vtramque Deo competere, ex ſequentibus patebit. Nimirum demonſtraui ſuperius, dari voluntatem Dei, quae eſt ratio ſufficiens exiſtentiae rerum (§. 6.), dari vero et aliam, quae rebus exiſtentiam non largitur (§. 7.). Huius rei rationem hanc eſſe, §. 11. dixi, quod illa non ſolum feratur in obiectum ſeorſim conſideratum, ſed etiam in omnes eius circumſtantias, ſub quibus fieri debet, et actu fit; hanc vero pro obiecto ſuo habere tantum rem in ſe conſideratam. Ergo manifeſtum eſt, Deum et antecedente et conſequente voluntate gaudere (§. 13.).

SCHOLION.

Quando e. g. Deus omnium hominum ſalutem velle dicitur, eam in ſe conſiderat, neque quatenus connexa eſt cum quorundam finali reſiſtentia, atque hinc voluntas illa eſt antecedens. Quando vero electorum aut credentium ſalutem vult, eam vult non ſolum in ſe ſpectatam, ſed etiam cum annexis circumſtantiis, ſcilicet fide finali. Ergo haec voluntas eſt conſequens.

§. XV.

Vtriusque differentia.

Voluntas conſequens rebus exſiſtentiam confert, neutiquam vero antecedens. Illa enim voluntas, per quam rebus exiſtentia datur, non in obiectum ſeorſim ſpectatum, ſed et in omnes eius circumſtantias fertur; cum ex aduerſo voluntas, qua res in ſe conſiderata, non vero ad peculiares ſuas circumſtantias relata, tantum appetitur, non ſit exiſtentiae rerum ratio ſufficiens (§. 11). Enimuero voluntas obiecti omniumque circumſtantiarum connexarum dicitur conſequens, ſolius vero obiecti, a circumſtantiis ſuis cogitatione ſeiuncti, voluntas eſt antecedens (§. 13.): Ergo et voluntas conſequens rebus exiſtentiam largitur, cum ex aduerſo antecedens res in poſſibilitate ſua relinquat.

§. XVI.

Digitized by Google

§. XVI.

Quoniam itaque voluntas Dei eſt vel antecedens vel conſequens (§. 13.), *ſola conſequens eſt ratio ſufficiens exiſtentiae rerum* (§. 15.). Sola conſeq. res reddit exiſtentes.

§. XVII.

Voluntas efficiens eſt ea, cuius obiectum donatur exiſtentia, inefficiens vero, cuius obiectum nunquam exiſtit (§. 8.). *Hinc et voluntas conſequens dici poteſt efficiens, antecedens vero inefficiens* (§. 15.). Illa eſt efficiens, anteced. inefficiens.

§. XVIII.

Porro ex his principiis ſequitur, Deum, quod vult voluntate antecedente, nolle poſſe voluntate conſequente. Fieri enim poteſt, vt, quod Deus in ſe vult, propter annexas circumſtantias nolit (§. 10.). Quicquid vero in ſe tantum vult Deus, id vult voluntate antecedente, et quicquid vult vna cum circumſtantiis annexis, id vult voluntate conſequente (§. 13). Ergo quod Deus vult voluntate antecedente, nolle poteſt voluntate conſequente. Oppoſitio voluntatis antecedentis et conſequentis.

§. XIX.

Neque tamen id infert actuum voluntatis Dei contradictionem, quando quid voluntate antecedente vult, quod non vult conſequente. Etenim quando actus voluntatis ſibi vere contradicunt, neceſſum eſt, vt plures adſint actus voluntatis, iique diuerſi, atque vt quis idem obiectum eodem modo eodemque reſpectu ſimul et velit, et nolit; hoc eſt, vt vel obiectum in ſe conſideratum ſimul velit et nolit, vel in nexu cum circumſtantiis ſuis ſimul appetat et auerſetur. Enimuero non dantur plures in Deo actus diuerſi voluntatis, ſed vnus ille idemque actus vocatur antecedens voluntas, ſi in res ſeorſim conſideratas, conſequens vero, ſi ſimul in annexas circumſtantias ferri concipitur (§. 13.): Igitur iſte voluntatis antecedentis et conſequentis diſſenſus contradictionem voluntatis actuum veram plane non infert. Non infert contradictionem.

§. XX.

§. XX.

Nec ſucceſſionem.

Voluntas antecedens et conſequens non inferunt in Deo ſucceſſionem voluntatis actuum. Quemadmodum enim Deus res omnes tam in ſe, quam in nexu ſuo ſimul et ab omni aeternitate cognoſcit (§. 1.), ſic etiam, cum cognitio iſta ſit ratio ſufficiens volendi et nolendi (§. 4.), res omnes, quas vel in ſe vel in nexu ſuo cum reliquis circumſtantiis vult, ſimul et ab omni aeternitate voluit (§. 86. *Met.*). Enimuero voluntas obiecti in ſe conſiderati eſt antecedens, et voluntas obiecti in nexu ſuo ſpectati conſequens (§. 13.): Igitur et voluntas antecedens et conſequens non inferunt aliquam in Deo ſucceſſionem voluntatis actuum.

SCHOLION.

Hinc grauiter errant, qui voluntatem Dei antecedentem et conſequentem propterea ſic dici putant, quoniam illa ratione temporis prior et haec poſterior eſſet.

§. XXI.

Voluntas rei ſub exiſtentia alterius.

Quando Deus aliquid voluntate antecedente vult, quod non vult conſequente (§. 18.), rem, quam in ſe vult, non vult propter annexas circumſtantias (§. 13.). Voluiſſet itaque, ſi modo alias circumſtantias rem iſtam comitaturas praeuidiſſet. *Hinc Deo tribuenda eſt voluntas exiſtentiae rei cuiusdam ſub exiſtentia alterius.*

SCHOLION.

Sic e. g. Deus vult ſalutem impiorum ſub exiſtentia fidei finalis. Sic voluit felicitatem Iudaeorum ſub exiſtentia illorum obedientiae. Quod vt rectius intelligatur, monendum eſt, vnam eandemque rem in vario et diuerſo nexu haerere poſſe. Alter illorum Deo placet, alter vero diſplicet. Sub illius igitur nexus, qui ipſi placet, exiſtentia rei ipſius exiſtentiam vult. Sed hunc quandoque videt exſtiturum, quandoque non exſtiturum eſſe praeſcit. Si prius, rem ipſam vult voluntate conſequente; ſi poſterius, vult antecedente (§. 13.). Igitur et conſequente et antece-

Digitized by Google

antecedente voluntate exiſtentiam rei velle poteſt ſub exiſtentia alterius.

§. XXII.

Voluntas conditionata.

Voluntas exiſtentiae rei ſub exiſtentia alterius dicitur CONDITIONATA.

§. XXIII.

Deo competit.

Haec igitur quin Deo competat, dubitari nequit (§. 21.).

§. XXIV.

Non infert ignorantiam rerum.

Voluntas Dei conditionata non infert quarundam rerum ignorantiam. Requirit enim tantum, vt aliquid velit ſub exiſtentia alterius rei (§. 22.). Hac vero ratione aliquid velle poteſt, licet certo praeſciat, num iſta res altera extitura ſit, nec ne. Ergo voluntas conditionata Deo poteſt competere absque vlla rerum ignorantia.

SCHOLION.

Imo vero non ſolum poteſt, verum etiam actu illi competit haec voluntas ſine omni ignorantia. Cum enim omniſcius ſit, non ſolum omnes rerum nexus poſſibiles perfectiſſime cognoſcit, ſed etiam certiſſime nouit, quisnam horum ſit extiturus, nec ne. Qui fingunt voluntatem rei ſub conditione non praeuiſa, illorum opinio, aut rectius ſomnium, de voluntate quadam conditionata merito reiicitur.

§. XXV.

Voluntas antecedens eſt conditionata.

Voluntas Dei antecedens, quae non eſt ſimul conſequens, eſt conditionata. Talis enim voluntas, qualem ſuppoſui, eſt voluntas rei in ſe ſpectatae connexa cum noluntate circumſtantiarum, quas eam comitari Deus nouit (§ 13.). Quoniam vero nihil in vniuerſo rerum ordine eſt abſolute neceſſarium (§. 730. a. *Inſt. Met.*), res iſta, quam Deus ob annexas circumſtantias non vult, cum aliis connexa eſſe poteſt (§. 102. *Inſt. Met.*), quas omnino bonas eſſe oportet. Has circumſtantias Deus haud dubie cognoſcit (§. 1.). et quoniam iſta cognitio eſt ratio ſufficiens volendi (§. 4.), ſub harum quoque circumſtantiarum exiſtentia rei ipſius exi-

Digitized by Google

ſtentiam Deum velle, manifeſtum eſt (§ 86. *Inſt Met.*). Enimvero voluntas rei ſub exiſtentia alterius eſt conditionata (§. 22.): Igitur et voluntas Dei antecedens, quae non eſt ſimul conſequens, debet eſſe conditionata.

SCHOLION.

Quoniam vero conditio iſta, quam haec voluntas antecedens reſpicit, non exiſtit, et vt non extitura praeuidebatur, fieri non potuit conſequens.

§. XXVI.

Conſequens eſt conditionata. *Voluntas conſequens etiam eſt conditionata.* Quicquid enim fit, ſub certis circumſtantiis fieri debet. Iam cum voluntas conſequens non ſolum in ipſo obiecto, ſed et in circumſtantiis annexis terminetur (§. 13.), adeoque, quicquid Deus vult voluntate conſequente, ſub exiſtentia quarundam circumſtantiarum velit, voluntas eius conſequens itidem eſt conditionata (§. 22.).

§. XXVII.

Voluntas abſoluta et ordinata. Illius vero, quod Deus vult, cauſa immediata eſt vel eſſe debet ipſa conditio, ſub qua vult, vel ſola eius voluntas. Inde oritur differentia inter voluntatem Dei ORDINATAM et ABSOLVTAM. Illa eſt voluntas exiſtentiae rei, cuius cauſſa efficiens eſt conditio praecedens ad mundum pertinens; haec vero voluntas rei, cuius ipſe eſt cauſa immediata.

§. XXVIII.

Euentus naturalis et miraculum. Euentus in mundo, cuius cauſa immediata eſt res ad mundum pertinens, NATVRALIS; cuius vero cauſa immediata eſt Deus ipſe, SVPERNATVRALIS et MIRACVLVM appellatur.

§. XXIX.

Relatio ad voluntatem Dei. Id, quod Deus vult voluntate ordinata, a re ad mundum pertinente dependet; quicquid vero vult voluntate abſoluta, illius ipſe eſt immediata cauſa (§. 27). *Ergo obiecta volun-*

Digitized by Google

oluntatis ordinatae ſunt euentus naturales, obiecta vero abſolutae voluntatis miracula (§. 28.).

§. XXX.

Voluntas ordinata non ſemper in actum conuertitur.

Poſſibile eſt, conditionem, a qua tanquam cauſa Deus rem aliquam dependere vult, non exiſtere. Quoniam vero nullus effectus ſine ſua cauſa eſſe poteſt (§. 411. *Inſt. Met.*), et voluntas ordinata pro obiecto habet rem, cuius cauſa immediata eſſe debet conditio quaedam praecedens (§. 27.), *ea, quae vult Deus voluntate ordinata, etiam poſſunt non fieri.*

§. XXXI.

Eſt quandoque antecedens.

Hinc cum voluntas conſequens rebus exiſtentiam conferat, neutiquam vero antecedens (§. 15.), *voluntas ordinata non ſemper eſt conſequens, ſed interdum etiam antecedens* (§. 30.).

§. XXXII.

Obiecta volunt. abſ. ſemper fiunt.

Quicquid Deus vult voluntate abſoluta, id ſemper fit. Cum enim illa ſit voluntas rei, cuius ipſe eſſe vult cauſa immediata (§. 27.), id, quod Deus hac ratione fieri vult, aut etiam fit, aut voluntas Dei quandoque mutatur. Enimuero haec mutari nequit. Nam quia cognitio rerum eſt ratio ſufficiens voluntatis (§. 4.), et illa ſemper eadem eſt et manet (§. 1.), dubium non eſt, quin Deus ſemper velit, quod ſemper voluit (§. 86. *Inſt. Met.*) Itaque quicquid Deus vult voluntate abſoluta, id etiam ſemper fit.

§. XXXIII.

Cui voluntati reſiſti poſſit?

Propterea voluntati quidem ordinatae, ſed non abſolutae, reſiſti poteſt ab hominibus (§. 30. 32.).

SCHOLION.

Scilicet conditio iſta, quae cauſa eſſe debet obiecti voluntatis ordinatae, nonnunquam a libera hominum voluntate dependet, ideoque quando hi libertatis ſuae abuſu conditionem iſtam impediunt, voluntati Dei ordinatae reſiſtitur. Ponamus, Deum homi-

hominem quendam ita creaſſe, vt ſexaginta annos viuere poſſet, ſi temperantiae ſtuderet; ponamus, Deum etiam actu velle, vt homo ſub conditione vitae temperantis tam diu viuat, hunc vero proterue omnem menſuram excedere; tum certe voluntati diuinae turpiter reſiſteret. Sed quando Deus decreuit hominem quendam omnipotenti ſua manu conſeruare, omnesque mortis cauſas naturales pellere, huic nemo reſiſtet voluntati.

§. XXXIV.

Voluntas efficax et inefficax.

VOLVNTAS EFFICAX dicitur voluntas finis, connexa cum voluntate mediorum; VOLVNTAS vero INEFFICAX voluntas finis, quae non eſt connexa cum voluntate mediorum.

§. XXXV.

Efficax eſſe poteſt ordinata.

Media, quibus finis a Deo intentus obtineri debet, quandoque ſunt cauſae naturales, ſiue, conditiones ad mundum pertinentes, a quibus finis exiſtentia dependet. Quoniam itaque voluntas efficax eſt voluntas finis connexa cum voluntate mediorum (§. 34.), *illa ſimul eſſe poteſt ordinata* (§. 27.).

§. XXXVI.

Poteſt etiam eſſe abſoluta.

Interea tamen et poſſibile eſt, Deum ipſum finem quendam immediata ſua actione exſequi velle, ita vt haec illius ſit medium. Quapropter cum omnis voluntas, quae fertur in exſiſtentiam mediorum, efficax ſit (§. 34.), *haec quoque eſſe poteſt voluntas abſoluta* (§. 27.).

§. XXXVII.

Non ſemper res reddit exiſtentes.

Obiecta voluntatis Dei ordinatae non ſemper exiſtentiam nanciſcuntur (§. 30.). *Ergo et ea, quae Deus vult voluntate efficaci, non ſemper exiſtunt* (§. 35.).

§. XXXVIII.

Quandoque eſt antecedens.

Enimuero voluntas Dei conſequens rebus exiſtentiam ſemper largitur (§. 15.): *Hinc voluntas eius efficax non ſemper*

eſt

eſt conſequens (§. 37.), *ſed quandoque etiam antecedens* (§. 13.).

§. XXXIX.

Et quoniam voluntas conſequens efficiens eſt, antecedens vero inefficiens (§. 17.), *voluntas efficax ab efficiente omnino differt* (§. 38.). **Differt ab efficiente.**

§. XL.

Si finis bonus eſt, et media, quibus ille obtinetur, bona eſſe oportet. Cum itaque Deus quaevis bona diſtinctiſſime cognoſcat (§. 1.), et illorum cognitio ratio ſufficiens voluntatis ſit (§ 4.), ille nunquam vult finem, niſi ſimul velit media (§. 86. *Inſt. Met.*). Enimuero voluntas finis, ſeiuncta a voluntate mediorum, inefficax dicitur (§. 34.). *Quare et huius generis voluntas in Deum non cadit.* **Inefficax in Deum non cadit.**

§. XLI.

Omnis voluntas finis eſt vel efficax vel inefficax (§. 34.); Haec autem in Deum non cadit (§. 40.): *Igitur ſola efficax voluntas Deo competit.* **Sola efficax Deo competit**

§. XLII.

PERMISSIO eſt omiſſio actionis, quae ſuſcepta rationem non-exiſtentiae alicuius rei in ſe continuiſſet. VOLVNTAS PERMISSIVA eſt voluntas rem aliquam permittendi; Rei vero ipſius APPROBANS, ſeu, APPROBATIVA dicitur. **Voluntas peremittens et approbans.**

§. XLIII.

Res, quae permittitur, poteſt eſſe mala, cum tamen ipſa eius permiſſio bona ſit. Iam Deus omnia diſtinctiſſime cognoſcit (§. 1.): Et quoniam ſolius boni cognitio volendi, et ſolius mali cognitio nolendi ratio ſufficiens eſt (§. 4.), permiſſionem rei velle poteſt, cum tamen rem ipſam nolit. *Hinc voluntas Dei permiſſiua non ſemper eſt approbans* (§. 42.). **Permittens non ſemper eſt approbans.**

Digitized by Google

§. XLIV.

Non vult Deus, quod permittit.

Hanc ob cauſam Deus res multas auerſari et deteſtari poteſt, quas tamen permittere omnino voluit §. 42. 43.).

§. XLV.

Voluntas beneplaciti et ſigni.

VOLVNTAS BENEPLACITI eſt voluntas approbans rei, quam ſe velle Deus externe teſtatur; VOLVNTAS SIGNI eſt noluntas rei, quam ſe velle externe Deus declarat. Rectius diceretur BENEPLACITVM et SIGNVM VOLVNTATIS.

SCHOLION.

Poteſt quidem et alia ratione voluntas beneplaciti et ſigni definiri; ſed quoniam mihi potiſſimum ſententias aduerſariorum examinandas ſumpſi, ex illorum quoque mente vtraque definienda eſſe videbatur.

§. XLVI.

Voluntas ſigni in Deum non cadit.

Voluntas ſigni in Deum non cadit. Quodſi enim Deus, ſe quid velle, externe declararet, quod tamen interne non vult, illud aut bonum, aut malum eſſe deberet. Sed neutrum horum eſſe poteſt. Quodſi enim bonum eſſet, id etiam Deus, quoniam omnia diſtinctiſſime cognoſcit (§. 1.), et cognitio boni ratio ſufficiens voluntatis eſt (§. 4.), velle omnino deberet (§. 86. *Inſt. Met.*). Si malum foret, nolle quidem, ſed non, ſe velle, declarare poſſet. Cum enim malum ſit, quod gloriam eius obſcurat (§. 2.), nemo non videt, Deum, ſi ſe id velle declaraſſet, hominibus perſuadere voluiſſe, quod ſibi placeret gloriae ſuae obſcuratio. Quod quoniam manifeſto abſurdum eſt, fieri nequit, vt Deus ſe quid velle teſtetur, quod tamen reapſe non vult. Ergo cum noluntas rei, quam Deus ſe velle externe declarat, voluntas ſigni dicatur (§. 45.), conſequens eſt, hanc voluntatem Deo repugnare.

SCHOLION.

Ex adducta ratione patet, Deum propterea id, quod non vult, ſe velle, declarare haud poſſe, quia hoc facto hominibus perſua-

Digitized by Google

perſuaderet, gloriae ſuae obſcurationem ſibi placere. Si qua ergo huius generis declaratio fieri poteſt absque hac perſuaſione, et absque hinc metuenda gloriae diuinae obſcuratione, illam poſſibilem eſſe, et Deo non repugnare, agnoſco. Foret autem haec talis declaratio ea, quae poſtmodum reuocatur, et cuius rationes in bonum finem tendentes exponuntur. Huc e. c. pertinet mandatum illud diuinum de mactando et ſacrificando Iſaaco, quod accepit Abrahamus. Deum enim reapſe hoc hominis ſacrificium noluiſſe, non ſolum ex mandati reuocatione, verum etiam ex multis aliis Scripturae locis probari poteſt. Iſta vero ſimulata huius voluntatis declaratio non poterat gloriae diuinae manifeſtationi derogare: primo, quia, cum mandatum executioni dari debebat, ſe contrarium velle, et mandatum, quod acceperat, ſimulatum fuiſſe, teſtabatur; ſecundo, quia deinceps ratio reddebatur a Spiritu ſancto, cur Deus ſe id velle ſimulauerit, cum tamen vere noluerit. Scilicet ratio iſta maxime ſalutaris erat, et in honorem Dei tendens. Quandoquidem cum ſciret Deus, tantam fore fidem Abrahami, vt, ſi filii, quem vehementer diligebat, et in quo omnes promiſſiones adimpletum iri credebat, mortem imperaret, hic illam filio vnico et dilectiſſimo, filio ſpei et promiſſionum inferre, non dubitaturus eſſet; Deo conſultum videbatur, hoc magnae fidei exemplum omnium aetatum hominibus ob oculos ponere. Quodſi vero aliqua voluntatis diuinae declaratio non reuocatur, et ſimul, cur ſimulata fuerit, exponitur, pro voluntate ſigni aut pro declaratione voluntatis ab ipſa voluntate differente haberi nequit. Hanc ob cauſam illi grauiter errant, qui vniuerſalem iſtam redemptionis, gratiae, et ſalutis annunciationem voluntatem ſigni eſſe contendunt. Etenim nullibi haec voluntatis omnes ſaluandi homines declaratio reuocata eſt; nullibi cauſae indicantur, cur Deus ſe omnium hominum ſalutem velle teſtatus ſit, quam tamen re ipſa noluiſſet.

§. XLVII.

Quando Deus ſe quid velle externe declarat, id aut vult, aut non vult: adeoque omnis voluntas Dei externe declarata

Solam voluntatem

beneplaciti habet.

rata aut eſt voluntas beneplaciti aut ſigni (§. 45.). Cum itaque voluntas ſigni in Deum non cadat (§. 46.), *omnis voluntas Dei declarata eſt voluntas beneplaciti.*

SCHOLION.

Quoniam vero dixi, poſſe voluntatem, quae Deo actu non competit, declarari, ſi modo reuocetur, et ratio, cur ita declarata fuerit, reddatur; nemo non videt, ad voluntatem ſigni requiri declarationem non reuocatam cum annexis rationibus. Id, quod etiam inde patet, quia declaratio mox reuocata cum adiunctis cauſis reuera non eſt voluntatis, ſed potius noluntatis declaratio.

§. XLVIII.

Decretum quid?

Voluntas illa, quae in ſe continet rationem ſufficientem exiſtentiae rerum, DECRETVM appellari ſolet.

§. XLIX.

Eſt voluntas conſequens.

Cum itaque ſola voluntas Dei conſequens ſit ratio ſufficiens exiſtentiae rerum (§. 16.), *decretum dici poteſt voluntas Dei conſequens de rerum exiſtentia* (§. 48.).

§. L.

Vnum eſt decretum Dei.

Hinc ſequitur, tot dari decreta, quot ſunt obiecta, quorum exiſtentiam Deus conſequenter voluit (§. 49.) Iam vero vnus tantum mundus exiſtit, (§. 995. *Inſtit. Metaph.*), qui res omnes exiſtentes mutabiles, ſiue factas, complectitur (§. 729. a. *Inſtit. Met.*): *Igitur et proprie vnicum tantum datur decretum Dei.*

§. LI.

Continens plura alia.

Quemadmodam vero in hoc vnico mundo multae res continentur, quarum quaelibet ſimul decreta eſt a Deo, cum totius mundi exiſtentiam decerneret; *ſic et multa decreta Deo tribui poſſunt, contenta ſcilicet in vnico iſto decreto, de huius mundi exiſtentia.*

SCHOLION.

Ex ipſa demonſtratione quisque videt, nos non formaliter plura in Deo decreta ſtatuere, ſed tantum obiectiue vel terminatiue.

Digitized by Google

tiue. Scilicet Deus vnicum decretum tantum fecit; quoniam vero per illud multae res ſimul decretae ſunt, idcirco vnicuiuis peculiare decretum pro noſtro concipiendi modo tribuitur.

§. LII.

Horum decretorum aliquis ORDO eſſe praedicatur, quatenus vnum altero prius concipitur. Ordo decretorum, quid?

SCHOLION.

Dico, vnum altero prius *concipi*, non vero, vnum altero prius *eſſe*. Quemadmodum enim Deus ab aeterno omnia cognouit, adeoque omnes volendi rationes perſpectas habuit, ſic et ab aeterno, quicquid vnquam vult, voluit. Deinde quoniam in Deum non cadit ſucceſſio, nec vnum altero prius actu eſſe poteſt.

§. LIII.

Omne decretum Dei eſt voluntas eius (§. 48.), atque hinc illius ratio continetur in cognitione, quam ſibi intellectus diuinus de obiectis formauit (§. 4.). Si quod ergo decretum altero prius concipi debet, illius certe obiecti decretum reliquis anteponendum eſt, cuius cognitio ſecundum ordinem naturae alterius cognitionem praecedit. Iam vero Deus res omnes ita cognoſcit, vti ſunt (§. 1.): Hinc quoniam in mundo omnia fiunt in certo nexu, ita, vt vnum alterius rationem in ſe contineat, atque id, in quo ratio ſufficiens alterius datur, prius ſemper concipi debet, dubium non eſt, quin et illud decretum altero prius concipiendum ſit, cuius obiectum alterius rationem in ſe continet. Quodſi vero in vnius decreti obiecto alterius ratio contenta eſt, et ex vno decreto alterum concipi poſſit, neceſſum eſt. Quapropter, cum ordo decretorum diuinorum poſtulet, vt vnum altero prius concipiatur (§. 52.), *is erit verus decretorum Dei ordo, qui ea ſibi inuicem ita ſubordinat, vt ex priori poſterioris ratio reddi ſemper poſſit.* Infert, vt vnum alterius rationem in ſe habeat.

§. LIV.

Tum vero vnum decretum alterius rationem haud dubie in ſe continet, quando ex vnius decreti obiecto aut circum- Idem determinatur.

cumſtantiis, quae illud excipiunt, cognoſci poteſt, cur aliud quid decreuerit. *Hinc etiam verus decretorum Dei ordo ille dici poteſt, iuxta quem ex prioris obiecto aut etiam eius conſectariis intelligi poteſt, cur ſequens formatum fuerit* (§. 53.).

SCHOLION.

Quando hic conſectariorum decreti alicuius diuini, aut etiam eius obiecti mentionem facio, non praeciſe ea intelliguntur, quae ex praecedenti decreto, aut eius obiecto, neceſſario fluunt, aut in eodem ſuam habent rationem, ſed etiam tales circumſtantiae eſſe poſſunt, quae decretum prius, aut potius obiectum eius, ſequuntur, quamuis ab aliis dependeant cauſis. Sic e.g. Deus decreuit, euangelium annunciari omnibus hominibus. Huius conſequens erat nonnullorum fides, aliorum vero finalis incredulitas et reſiſtentia. Id autem non ita intelligi debet, ac ſi vtrumque ab annunciatione Euangelii, tanquam a ſua cauſa, dependeret. Nam quamuis fides ex praedicatione huius doctrinae ſalutaris oriatur, reſiſtentia tamen non ab illa, ſed potius partim a malo haereditario, partim a contracta conſuetudine peccandi dependet. Interim tamen quoniam praedicationem euangelii ſequitur, eatenus ad eius conſectaria referri poteſt.

§. LV.

Decretum Dei abſolutum quid?

DECRETVM DEI ABSOLVTVM tale eſt, cuius tantum datur ratio ſubiectiua. Hanc vero eam volendi rationem vocant, quae eſt aliquid in ipſo volente.

§. LVI.

Non datur in ordine decretorum.

Ordo decretorum Dei poſtulat, vt ſequentis decreti ratio ſemper deſumatur ex obiecto prioris, eiusdemque conſectariis (§. 54.). Quae ratio cum non ſit ſubiectiua (§. 55.), *patet, ordinem decretorum Dei nullum abſolutum continere* (§. *citato*).

§. LVII.

Eſt impoſſibile.

Imo vero tale decretum abſolutum prorſus impoſſibile eſt. Etenim ratio, cur quid decernat Deus, haec eſt, quia obiectum reliquorum omnium optimum eſſe iudicat (§. 1001.

Inſtit.

Inſtit. Metaph.) Quoniam vero optimum illud eſt, quod illius gloriae manifeſtationem omnium maxime promouet (§. 2.), ratio, cur quid Deus decernat, eſt relatio obiecti ad gloriae ſuae manifeſtationem, adeoque aliquid in obiecto ipſo. Iam vero decretum abſolutum habet tantum rationem ſubiectiuam (§. 55.), h. e. aliquid in ipſo volente (§. *cit.*): Ergo eiusmodi decretum apud Deum eſt impoſſibile.

SCHOLION I.

Ratio ſubiectiua ſola Deo nunquam eſſe poteſt abſolute ſufficiens. Cum enim, vi omniſcientiae, ſemper agat ex diſtinctiſſimis repraeſentationibus, et, vi ſapientiae, ob certum finem conſequendum, ratio illa, quae ipſi ſufficiens eſt, talis eſſe debet, ex qua, iuxta diſtinctiſſimam ſcientiam, cognoſci poteſt, cur haec potius media, nec alia, decreta ſint. Quodſi vero mediorum naturae, conditionis, et relationis ad finem nulla prorſus habeatur ratio, nulla ratio, quaecunque ſit, talis eſſe poteſt, vt ex ea concipiatur a perfectiſſimo intellectu, cur haec potius media, quam alia, exiſtentiae deſtinata ſint. Hinc et ſubiectiua ratio, quae non eſt ſimul obiectiua, ſufficiens dici haud poteſt.

SCHOLION II.

Terminum, *ratio ſubiectiua*, quod attinet, monendum eſt, improprie ſumi, quando de Deo adhibetur. Subiectum proprie dicere ſolent ens, cui accidentia competunt. Hinc quoniam illa in Deum cadere nequeunt, nec proprie ſubiectum dici poteſt. Improprie autem, quo minus ita appelletur, nihil impedit, quoniam eatenus ſubiectum eſt ens, cui certae affectiones inſunt

§. LVIII.

Quoniam decretum abſolutum eſt illud, quod tantum habet rationem ſubiectiuam (§. 55.), *ſequitur et decretum finis particularis, quod connexum eſt cum decreto mediorum abſolutum eſſe, ſi ipſius decreti finis nulla datur ratio obiectiua.* Decretum finis part. quodnam abſolutum.

§. LIX.

Iam vero decreta Dei abſoluta non dantur (§. 57.): *Ergo nec eiusmodi decretum finis particularis, cuius nulla eſt* Non datur.

 ratio

ratio obiectiua, Deo tribui poteſt, ſi vel maxime cum eodem connexum foret decretum mediorum (§. 58.).

SCHOLION.

Perinde foret, ac ſi Deus medium aliquod abſque ratione obiectiua decerneret. Omnis enim finis particularis eſt medium vniuerſalis et vltimi (§. 984. *Inſtit. Metaph.*). Quemadmodum vero impoſſibile eſt, medium aliquod decerni, nulla habita ratione illius conditionis aut relationis ad finem; ſic et nullus decerni poteſt finis particularis ex ſola ratione ſubiectiua. His praemiſſis transeamus nunc ad

SECTIONEM SECVNDAM

IN QVA

SENTENTIAE DOCTISSIMI WYTTENBACHII DE VOLVNTATE DEI EXPENDVNTVR.

§. LX.

Quomodo exiſtentiam voluntatis Dei probauerit Autor?

Multa quidem praeclare dicta eſſe a celeberrimo autore, nemo non fatebitur, qui meditationes eius attenta mente perlegit. At vero et nonnulla eſſe, quae probari omnino nequeunt, ex ſequenti tractatione patebit, qua oſtendendum mihi ſumpſi, quatenus eius de voluntate Dei doctrina a principiis modo adſertis differat. In ſyſtematis ſui P. I. §. 272. Deo voluntatem recte tribuit, ſed ex ea ratione, quae veritatem hanc conficere non videtur. Quandoquidem haec eius eſt probatio: *Quia Deus mundum hunc elegit e ceteris poſſibilibus* (§. 232.), *electio autem liberam voluntatem praeſupponit* (§. 519 *Metaphyſ.*), *oportet, Deus habeat voluntatem.*

§. LXI.

Refutatur.

Itaque ex electione huius mundi probari poſſe Dei voluntatem, ipſi viſum eſt (§. 60.). Quod quamuis in ſe verum ſit, tamen, ſi haec idea electionis, quam autor tradidit §. 232. et ex qua argumentatus eſt, retinetur, demonſtratio-

nem

nem non procedere, arbitror. Sic enim ille: *Actus, quo ex pluribus poſſibilibus vnum reliquis anteponitur, dicitur electio.* Si haec eſt electionis idea, atque ſi talis electio voluntatem liberam ſupponit, vereor, ne et bruta voluntate ac libertate gaudeant. Etenim iuxta autorem argumentatio ita inſtitui poſſet:

Quicunque eligit, ille habet voluntatem liberam;
Atqui bruta etc. Ergo.

Minoris probatio.

Quicunque ex pluribus poſſibilibus vnum reliquis anteponit, ille eligit.
Atqui bruta etc. Ergo.

Maior eſt definitio autoris. Minor per experientiam conſtat. Et praeterea quoque illis concedenda eſt, qui et ſpontaneitatem brutorum, et actionum contingentium agnoſcunt. Quoniam vero bruta voluntate carent, quamuis habeant appetitum ſenſitiuum, non recte ſe habet, vt ego quidem opinor, illius probatio.

§. LXII.

Cuius ratio redditur.

Errorem hunc logicum plane non notaſſem, niſi animaduertiſſem, alios errores circa hanc doctrinam admiſſos eſſe, qui caueri potuiſſent, ſi diſtincta voluntatis notio praemiſſa, atque ex hac illius exiſtentia demonſtrata fuiſſet. Quando enim perpendimus, fundamentum voluntatis diuinae eſſe eius omniſcientiam, et ex cognitione cuiuscunque boni voluntatem ſequi oportere, multa de antecedente et conſequente, de conditionata et abſoluta, de efficaci et inefficaci voluntate manifeſta ſunt, quae tamen autor noſter negare non dubitauit. Huius rei fidem nobis facient ea, quae mox dicturi ſumus.

§. LXIII.

Voluntas ſigni et beneplaciti iuxta autorem.

In §. 288. VOLVNTATEM BENEPLACITI et SIGNI definiuit. Verba eius haec ſunt: *ſi ſpectetur*, (ſcilicet voluntas Dei,) *quatenus obiectum aliquod Deo placet, id eſt,*

Digitized by Google

voluptatem ex eo capit, adeoque bonum iudicat, et propterea illud vult, dicitur voluntas beneplaciti; quae adeo non differt a voluntate decreti. Quando Deus in Scriptura per ſigna quaedam, vti mandatum, interdictum, promiſſionem, etc. indicat, quid velit ab homine fieri, dicitur voluntas ſigni, etiam complacentiae. Haec adeo pro obiecto habet officium hominis, vt non differat a voluntate praecepti. Quid vero ſit voluntas decreti et praecepti, §pho praec. his verbis declarauerat: *Quando Deus vult ab hominibus quid fieri, et propterea iis praecipit, dicitur voluntas praecepti; ea vero, qua Deus rem apud ſe ſtatuit facere, ſeu decernit, dicitur voluntas decreti.*

§. LXIV.

Conſenſus eius cum aliis.

Nota eſt alias diſtinctio, quam ponunt reformatae eccleſiae doctores inter voluntatem Dei OCCVLTAM et REVELATAM. Inculcauit eam primo ipſe CALVINVS in *Inſtitut. Chriſt. Rel. Lib. I. cap. 17. §. 2.* Vſus eſt eadem ANDREAS RIVETVS, qui inter alia *Exercit. 108. ad Gen. XXII. Opp. T. I. p. m. 415. inde orta eſt*, inquit, *diſtinctio voluntatis diuinae in reuelatam et occultam circa vnum et idem opus, quae contraria videtur, et non eſt.* Eiusdem veſtigia premit BENEDICTVS PICTETVS in *Theol. Dogm. P. I. Lib. II. cap. VIII. pag. 374. Verſ. germ.* Atque communem hanc fuiſſe opinionem eorum, qui ſe inter Reformatos orthodoxos appellari volunt, ex declaratione Remonſtrantium in ſynod. Dortracena patet, qui *Theſ. IX. Art. III. et IV.* diſtinctionem illam adiiciunt. Vid. ACTA SYNOD. DORT. *Part. I. pag. 117.* Nam quamuis ad hanc theſin, non dari voluntatem arcanam et reuelatam, directe non reſponderint, tamen, cum vrgeant vocationem hominum internam et externam, atque vtriusque differentiam ponant, certe conſentiunt in huius opinionis imputationem. Interea haec diſtinctio conuenit cum illa voluntatis BENEPLACITI et SIGNI. Ipſe enim RIVETVS, quem modo loquentem audiuimus, ita pergit: *Reuelata voluntas fuit, vt Abrahamus mactaret filium, occulta*

voluntas

Digitized by Google

voluntas fuit, vt id non faceret, nec in Deo fuit aliqua mutatio. Prima enim fuit praecepti, altera autem decreti. Quodſi itaque voluntas praecepti eſt voluntas ſigni, et voluntas decreti voluntas beneplaciti, iuxta ſententiam WYTTENBACHII (§. 63.), omnes eccleſiae ſuae doctores ſecum conſentientes habet.

§. LXV.

Quo ſenſu toleranda?

Quod rem ipſam attinet, tolerari poſſent hi termini, ſi modo recte explicarentur. Poteſt vtique obiectum aliquod modo conſiderari vt aliquid, quod Deo placet aut diſplicet, quod manifeſtationi gloriae eius conuenit aut repugnat; modo etiam vt aliquid, quod ab hominibus fieri, aut non fieri, adeoque illis aut imperari aut prohiberi debet. Voluntas obiecti priori reſpectu conſiderati dici poſſet beneplaciti; et voluntas rei poſteriori reſpectu conſideratae, ſigni. Atque ſi voluntas decreti et praecepti ſynonyma ſunt, praecedentium terminorum, et haec vtraque dicto ſenſu admitti poſſet. Sed tum concedendum eſt neceſſario, vtramque ſemper conſentire, Deumque idem obiectum ſemper voluntate et beneplaciti et ſigni velle. Similiter cum ſaepe nobis occultum, quid Deus hoc vel iſto caſu velit, quandoque vero id nos non fugiat, quoniam voluntatem ſuam nobis manifeſtauit, et ſtatuenda foret aliqua Dei voluntas occulta et reuelata: modo non trahantur hi termini in peruerſam ſignificationem.

§. LXVI.

Quo non toleranda?

Quodſi vero diſtinctius examinamus, quid ſibi velint Domini Reformati, et ipſe doctiſſimus Wyttenbachius, per voluntatem beneplaciti et ſigni, haud difficulter intelligemus, vtramque ex illorum ſententia ita accipiendam eſſe, vti a nobis ſuperius definita eſt §. 45. Dicunt enim, Deum id voluntate beneplaciti ſaepiſſime nolle, quod vult voluntate ſigni, h. e. cum hominibus aliquid non raro praecipere, quod tamen, vt actu fiat, non vult. Sic e. g. quando Deus omnes

Digitized by Google

omnes in vniuerſum homines ad fidem et poenitentiam vocat, id eum, inquiunt, velle voluntate praecepti et ſigni, neutiquam vero beneplaciti et decreti. Audiamus hac de re RIVETVM ſatis friuole differentem: *Quae diſtinctio*, (nimirum voluntatis praecepti et decreti,) *applicatur obiectioni, qua contendunt nonnulli, Deum aeque velle omnium hominum conuerſionem, vt ſalui fiant. Id enim vt verum eſt de voluntate praecepti, qua nempe Deus aliquid iubet, qua delectatur, quam alii* Ευαρεςίαν *vocant, ſic falſum eſt de voluntate decreti, qua nempe aliquid decernit et ſtatuit futurum.* Quae verba, ſi cum antecedentibus et ipſa voluntate decreti et praecepti conferantur, longe alium requirunt ſenſum, quam ipſa prae ſe ferre videntur. Etenim nihil aliud ſignificant, quam hoc: Deum, ſe quid velle, ſaepe declarare, quod tamen vere nolit, adeoque dari in eo noluntatem eius rei, cuius voluntatem externe teſtatus erat. Nec ipſe WYTTENBACHIVS ab hac opinione alienus videtur eſſe, ſi ipſas viri doctiſſimi definitiones expendamus. Scilicet, vt intelligamus, quid ſibi velint aduerſarii, notandum eſt, Deum aliquid non raro praecipere, ad quod, vt perficiatur, vt executioni detur, opem ille ſuam nobis ferre debet: quoniam nos ipſi ad tale opus inepti et longe infirmiores ſumus. Iam Deus, ex illorum mente, per voluntatem ſigni vult, vt homines hoc opus faciant; ipſe vero, per voluntatem beneplaciti, ſuam illis opem ferre non vult. Quid, quaeſo, hoc aliud eſt, quam dicere, ſe quid velle, quod tamen non vult? Fac, medicum aegroto, qui iam cum morte conflictatur, adſtantem multis verborum ambagibus vitam ipſi et ſanitatem precari, eumque indeſinenter implorare, vt pharmacum, certiſſimum mortis et aduerſae valetudinis propulſandae medium, recipiat; ipſum vero medicamen, quod manu tenet, et agroto e longinquo oſtendit, exhibere nolle, hoc licet miſero efflagitante illud, et receptionem promittente; quis crederet, medicum vitam et ſanitatem aegroti ſerio precari, et verba eius cum interna voluntate conuenire? Igitur manifeſtum

eſt,

Digitized by Google

eſt, diſtinctionem iſtam voluntatis beneplaciti et ſigni, quacum conſentit voluntas decreti et praecepti, itemque arcana et reuelata, quam faciunt reformati, inferre voluntatis declarationem, quam Deus non habet; ſiue, externum Dei teſtimonium, quod aliquid velit, quod tamen interno voluntatis actu non vult. Quam vero impoſſibile ſit, Deum, ſe quid velle, quod non vult, declarare, ſupra §. 46. prolixe demonſtraui. Vtriusque tantum definitiones noſter ponit, adductis quibusdam ſcripturae oraculis. Sed quoniam nobis conſtitutum eſt, rationibus ſaltim philoſophicis pugnare, ſufficiet, oſtendiſſe, quod diſtinctio illa, quam cum fratribus adſumit, theſi demonſtratae repugnare.

§. LXVII.

Voluntas conditionata ab autore negatur.

Progredior ad paragraphum 289. autoris noſtri, in quo voluntatem Dei conditionatam prorſus negat. Vt lectoribus noſtris de illius ſententia iudicandi copia fiat, verba complete exhibebo. Sic ille: *quia Deus omnia praeſcit ab aeterno, omniaque, quae voluit, ab aeterno voluit, voluntas ipſius non poteſt eſſe ſuſpenſa a conditione ab aliis adimplenda, repugnaret id quippe ipſius omniſcientiae, ac independentiae. Igitur in Deo non locum habet voluntas conditionata proprie ſic dicta.* Addit huic paragrapho Scholion, in quo voluntatem Dei conditionatam concedit, ſi denotare debet voluntatem finis pendentis a praecedentibus mediis a Deo praeuiſis, et voluntate eius determinatis: atque hoc ſenſu voluntatem Dei conditionatam a nobis adſeri contendit.

§. LXVIII.

Explicatio ſtatus controuerſiae.

Antequam ad hanc eius opinionem reſponderi poteſt, quid ſit voluntas Dei conditionata, explicari debet. Equidem §. 22. iam dixi, voluntatem hanc eſſe voluntatem rei ſub exiſtentia alterius. Quoniam vero haec res, ſub cuius exiſtentia Deus aliam vult, et quae *conditio* appellatur, multiplex eſſe poteſt, ſi ea tam in ſe, quam reſpectu cognitionis diuinae conſideretur; varia quoque concipi poteſt voluntas conditionata. Etenim iſta conditio a Deo vel non prae-

Digitized by Google

ſcitur, num ſit futura, nec ne, vel praeſcitur, et quidem aut vt futura, aut vt non futura. Si per voluntatem Dei intelligatur voluntas rei ſub conditione ab eo non praeuiſa, quemadmodum Sociniani eam ſic interpretantur, nemo noſtrum eſt, qui eam non negaret et deteſtaretur. Nam haec voluntas cum infallibili Dei praeſcientia conſiſtere non poſſe, manifeſtum eſt. Sin vero per voluntatem Dei intelligatur voluntas rei ſub conditione certo praeuiſa, vel vt futura, vel vt non futura, neceſſum eſt, eam aſſeramus et tueamur. Itaque verum quidem eſt, quod doctiſſimus Wyttenbachius adſerit, conditionatam Dei voluntatem a nobis defendi, quatenus eſt voluntas finis pendentis a conditione certo praeuiſa, et per voluntatem eius determinata; ſed noſſe eum oportet, a nobis etiam ſtatui voluntatem conditionatam, quatenus eſt voluntas rei pendentis a conditione, vt certo futura praeuiſa, ſed non per voluntatem eius determinata; ſimiliter eam, quae eſt voluntas rei pendentis a conditione certo praeuiſa vt non futura. Prioris enim voluntatis certitudo inde conſtat: Dantur multae conditiones actu futurae, a quibus varii effectus dependent. Illas omnes vna cum conſectariis Deus certiſſime praeſcit; atque ſi ad finem ſuum refert, vel bonas vel malas eſſe iudicat; ideoque easdem vel adprobat, vel ſaltim permittit; hinc multa Deus vult voluntate vel adprobante vel permittente, a conditione certo futura, et a Deo vt tali praeuiſa, licet eam ipſam non determinauerit. Sic e. c. Caius eſt diligens, ideoque fit homo doctus. Antequam ille exiſtebat, et diligentia et eruditio eius erat res futura. Vtramque Deus praeuidebat, et adprobabat; ſed nec conditionem, nempe diligentiam, nec conditionatam, nempe eruditionem, voluntate ſua determinabat. Nam diligentia Caii, et conſequenter etiam illius eruditio, dependet ab vſu rationis et libertatis Caii, cui Deus vim quandam inferre noluit. Sic etiam quando quis intemperantiae ſe totum dat, atque hinc praematura morte extinguitur; conditio iſta vna cum illius

effectu

effectu praeuidetur a Deo vt certo futura. Ipſam vero hanc conditionem nec approbat, nec voluntate ſua determinat. Permittit eam, atque ſub hac conditione permiſſa vult quoque, vt effectus ſequatur. Videt enim, vtriusque nexum diſſolui non poſſe niſi miraculo. Quod quo minus faceret, multis rationibus impediebatur. Secundo Deus nonnulla vult ſub conditione non futura, ab eo tamen vt tali certiſſime praeuiſa. Quemadmodum enim plures rerum nexus, qui in hoc mundo non continentur, poſſibiles ſunt, Deus vero omnia poſſibilia diſtinctiſſime cognoſcit; ita manifeſtum eſt, multa, quae in hoc mundo non fiunt, in alio rerum nexu, adeoque ſub aliis conditionibus, fieri potuiſſe, atque hinc a Deo vt poſſibilia quidem, ſed vt non futura, praeuiſa eſſe. Quae cum ſub poſitis conditionibus bona omnino fuiſſent, dubium non eſt, quin et ea ſub iisdem conſiderata Deus voluerit. Sic e. c. Caius, homo ſceleratiſſimus, vir magnae pietatis fieri potuiſſet, ſi media emendationis oblata admiſiſſet, nec illis malitioſe reſtitiſſet. Poſſibilia haec erant omnia. Itaque Deus nexum quendam poſſibilem cognouit, quo exiſtente Caius vir pius factus fuiſſet. Itaque et vidit conditionem non futuram, vt talem, a qua pietas Caii dependiſſet. Vtraque bona erat. Vtramque bonam eſſe et Deus iudicauit. Voluit ergo pietatem Caii ſub conditione, quamuis non futura, et vt tali praeuiſa.

§. LXIX.

Has inter voluntates conditionatas doctiſſimus WYTTENBACHIVS nobiscum eam negat, quae fundata eſt in conditione a Deo non praeuiſa. Concedit eam, nobis itidem conſentientibus, quae pro obiecto habet conditionem ab eo praeuiſam. Negat vero, diſſentientibus nobis, primo eam, quae nititur conditione praeuiſa quidem vt futura, ſed non ab eo determinata; ſecundo eam, quae fundata eſt in cognitione conditionis non futurae. Duas huius opinionis rationes reddit. Prima haec eſt: *quia repugna-* Negatur ſententia aduerſarii.

ret Dei omniſcientiae; ſecunda: *quia contradiceret eius independentiae.* Videantur verba eius §. 68. a me recitata.

§. LXX.

Voluntas conditionata non repugnat Dei omniſcientiae.

Primo voluntas huius generis conditionata non repugnat Dei *omniſcientiae.* Illarum enim prior, quae ſupponit conditionem futuram, et a Deo praeuiſam, quamuis non determinatam, omniſcientiam Dei aperte includit; poſterior vero, quae ſupponit conditionem non futuram, a Deo tamen praeuiſam, omniſcientiam Dei ſic arguit, vt ſine illa plane impoſſibilis eſſet. Ex hoc enim fundamento, quod Deus quaeuis poſſibilia diſtinctiſſime cognoſcat, demonſtraui, eum quoque noſſe omnes nexus mere poſſibiles, adeoque omnes conditiones nunquam exiſtentes, vna cum conſectariis ab iisdem dependentibus. Haec autem cognitio erat ratio proxima voluntatis conditionatae. At, inquies, conditio iſta, quae a Deo non determinata eſſe ſupponitur, ſiue futura ſit, ſiue non futura, a mero hominum arbitrio pendebit, atque hinc a Deo praeſciri non poteſt. Concedo, conditionem iſtam ab hominum arbitrio pendere, aut pendere ſaltim poſſe; nego autem, eam propterea praeſciri haud poſſe. Num enim putas, quamlibet humanae voluntatis inclinationem a Deo decretam eſſe: aut, ſi decreta non eſt, eam a Deo praeſciri negas? Deinde cur libera mentis inclinatio, non determinata a Deo, ab eodem praeſciri haud poteſt? Nonne enim et haec rationem ſuam ſufficientem habet? An Iudas prodit, et Petrus abnegat Chriſtum ſine vlla ratione? Nonne illum auaritia, hunc vero metus ad turpiſſimam defectionem commouebat? Si vero omnis, vt ſic loquar, volitionis et nolitionis liberae cauſa quaedam praecedens datur, aut poſſibilis, aut vere exiſtens, non video, cur Deus eam praeſcire nequeat.

§. LXXI.

Nec independentiae.

Secundo putat vir doctiſſimus, voluntatem Dei conditionatam repugnare Dei independentiae. Sed mihi prorſus

ſus contrarium videri fateor. Etenim independentia poſtulat, vt Deus in nulla re, a ſe ipſo diuerſa, aut exiſtentiae aut actionis ſuae rationem habeat. Hanc definitionem agnoſcit ipſe WYTTENBACHIVS ſui ſyſtematis §. 224. Putat vero, ex eadem hac definitione confici poſſe, conditionatam Dei voluntatem dependentiam quandam inferre. Sic enim concludit:

Quaecunque voluntas Dei in conditione quadam externa rationem ſuam ſufficientem habet, illa eſt dependens;
Atqui conditionata Dei voluntas, qualis a nobis ſupponitur, etc. Ergo.

Ego vero nego minorem huius argumenti propoſitionem. Non enim in conditione externa, ſed potius in illius repraeſentatione diuina huius voluntatis ratio continetur. Repraeſentatio vero, quae eſt aliquid in Deo, ab eodem non differt realiter, neque adeo dependentiam importat. Si ea voluntatis diuinae ratio, quae conſiſtit in repraeſentatione diuina alicuius rei externae, dependentiam efficeret, certe Deus dependenter ageret, quoties ob finem conſequendum agit, et illius obtinendi cauſa media eligit. Iam vero ipſe dominus WYTTENBACHIVS agnoſcit, Deum, vi ſapientiae ſuae, certos fines ſemper intendere. Hinc et ipſi verendum eſt, ne Deum hac ipſa opinione dependentem faciat.

§. LXXII.

Autoris et ſociorum de voluntate antecedente opinio.

Pergit vir doctiſſimus ad voluntatem Dei ANTECEDENTEM, quam §. 290. voluntatem dicit, *quae antecedit conſiderationem circumſtantiarum, quae rebus et praecipue homini ſuperueniunt, adeoque conſiderat res particulariter, non in nexu cum ceteris, ſed ſeparatas.* Eamque hoc ſenſu Deo non competere, probare tentat §. 291. Hac in re habet quidem nonnullos ſuorum conſentientes, e. g. GVRTLERVM, qui *in Synopſi Theol. Reform. Lib. 2. cap. 1. §. 58.* inquit: *Voluntas antecedens ſaluandi omnes homines Deo non decet, quia dubia eſt, et ſuſpenſa ab incerto hominis actu.*

 Imo

Imo vero maxima doctorum eccleſiae reformatae pars huic opinioni addicta eſt, quamquam non ſemper voluntatis antecedentis termino vtatur, quemadmodum in ACTIS SYNODI DORTRACENAE videre licet. Sunt tamen nonnulli, qui voluntatem antecedentem et conſequentem in Deo nullam contradictionem inferre ſtatuunt, adeoque vtramque concedere videntur. Hos inter laudaſſe ſufficiat BENEDICTVM PICTETVM. Is enim loca illa examinat, quibus Deus et nolle et velle mortem peccatorum dicitur, atque putat, Deum quidem peccatoris mortem in ſe conſideratam nolle poſſe, ſed velle eam oportere, quando reſpicit illius conſtantem inobedientiam, ſuaeque iuſtitiae et ſanctitatis ſimul memor exiſtit. Vid. *Ei. Theol. Dogm. T. I. Lib. II. cap. VIII. p. 376.*

§. LXXIII.

Primum argumentum autoris refutatur.

Vt autem appareat, leuia eſſe domini autoris argumenta, nec voluntatem Dei antecedentem tollere, breuiter indicabo ea, quae circa opinionem eius notanda ſunt. Scilicet primo ambigua eſt haec locutio, *quae antecedit conſiderationem circumſtantiarum rebus ſuperuenientium.* Nam ſi ita intelligatur, vt Deus ratione temporis prius cognoſcat et velit obiectum aliquod, quam eius circumſtantias peculiares conſiderat, concedo, hanc voluntatem Deo competere non poſſe. Repugnaret enim eius omniſcientiae et immutabilitati, et ſucceſſionem quandam in Deo efficeret. Sed neque id quidem ad voluntatem Dei, vti nos eam docemus, antecedentem requiritur. Quodſi vero ita intelligatur, vt Deus conſideret rem, qualis in ſe eſt, atque eatenus eam velit, id quod menti autoris conuenientiſſimum videtur eſſe, nulla ratione voluntatem hanc negare potuit. Equidem ita contra illam argumentatus eſt:

Quicunque res omnes in nexu ſuo ſemper conſiderat, ille eas non poteſt conſiderare ſeparatas, h. e. quales in ſe, et extra nexum, ſunt;

Atque Deus etc. Ergo.

Et

Et hinc vlterius concludit, Deo tribui non poſſe voluntatem rerum in ſe aut ſeparatim conſideratarum, h. e. antecedentem. Sed nego maiorem propoſitionem. Nam conſideratio rerum, quales in ſe et extra nexum ſunt, non excludit conſiderationem nexus earum. Quando nos rei cum aliis connexae naturam in ſe ſpectatam conſiderare volumus, abſtrahere nos interim oportet ab illius circumſtantiis connexis. Huius vero ratio haec eſt, quia ob intellectum limitatum non poſſumus omnia ſimul nobis repraeſentare. Sed ſi ens aliquod hac intellectus imperfectione non impeditur, omnia ſimul coram intueri, tum illud ſimul intelliget, qualia in ſe, et qualia in nexu cum reliquis ſint. Imo vero, ſi Deum reſpicimus, neceſſum omnino eſt, vt res omnes tam in ſe, quam in nexu cum reliquis diſtinctiſſime cognoſcat. Id enim niſi concederetur, ſtatuendum foret, aut Deum non cognoſcere quaeuis cognoſcibilia, aut res ſeorſim ſpectatas, ſiue rerum naturas in ſe non eſſe e cognoſcibilium numero. Cum vero vtrumque falſum ſit, ipſo non diffidente autore, quemadmodum opinor, concedenda eſt Dei cognitio rerum, quales in ſe ſunt.

§. LXXIV.

Secundum argumentum refutatur.

Huic argumento aliud adiecit, quod tamen in prius facile reſolui poteſt. Si in formam redigere velimus, tale erit:

Quicunque non poteſt aliquid velle ex motiuis non completis, illi nec competit voluntas antecedens;
Atqui Deus etc. Ergo.

Minorem hac ratione probauit:

Quicunque ſibi omnia ſimul repraeſentat, ille non poteſt aliquid velle motiuis incompletis;
Atqui Deus etc. Ergo:

Vt ad argumentum hoc reſponderi poſſit, notandum eſt, motiua incompleta eſſe conſiderationes quarundam tantum con-

conditionum obiecti, quae illud ſuadere vel disſuadere poſſunt. Hinc motiua incompleta ſignificant motiua nonnulla, quatenus omnibus eiusdem rei motiuis contradiſtinguuntur. Secundum hanc explicationem negatur minor propoſitio prioris ſyllogiſmi, et cum poſterior prioris ſit probatio, huius iterum maiorem reiicio. Haec enim ita ſe habet, ſi iuxta noſtram interpretationem intelligitur.

Quicunque ſibi omnia ſimul repraeſentat, ille non poteſt motiua obiectiua a ſe inuicem diſtinguere, et intelligere, ex quibus res aliqua appetenda, et ex quibus auerſanda ſit.

Quis vero hoc ſenſu eam concederet? Ego potius crediderim, eum ſibi non poſſe omnia ſimul et diſtinctiſſime repraeſentare, niſi ſingulas conditiones rei et circumſtantias accurate cognoſcat, atque intelligat, quatenus appetenda ſit, vel auerſanda; h. e. quo reſpectu bona ſit, et quo mala. Quoniam enim in ſe verum eſt, obiectum aliquod vno reſpectu bonum, et altero malum eſſe, ſiue, ſi nonnullae circumſtantiae conſiderentur, bonum, et ſi omnes, malum eſſe, is, qui haec ignoraret, non poſſet eſſe omniſcius. Quodſi vero ſcit, neceſſum eſt, eum hoc obiectum ex nonnullis motiuis velle, ex omnibus nolle. Etenim ſi haec voluntas et noluntas non conſequeretur, aut cognitio boni et mali non foret ratio ſufficiens volendi et nolendi, aut poſita ratione voluntatis et noluntatis ſufficiente non ſequi ipſam voluntatem et noluntatem. Manifeſtum itaque eſt, omniſcientiae diuinae non repugnare, vt aliquid velit ex motiuis incompletis.

§. LXXV.

Autor alibi concedit voluntatem antecedentem,

In Scholio ad §. 291. in partes noſtras inclinare, et, quam modo negauerat, voluntatem antecedentem affirmare videtur. Quoniam vero circa finem declarat, voluntatem iſtam antecedentem, qualem concedi poſſe putaret, nihil aliud eſſe, qualem voluntatem ſigni, a ſententia noſtra longe alienus

alienus eſt. Equidem cum RINGIERO exiſtimat, voluntatem conſequentem, quam nos ſtatuimus, conuenire cum voluntate beneplaciti defenſa a ſe et fratribus ſuis, atque hinc colligere videtur, voluntatem quoque antecedentem, de qua nos loquimur, conuenire cum illorum voluntate ſigni; ſed ſcire eum oportet primo, ſi vel maxime voluntatem beneplaciti vel decreti admitteremus, eamque per voluntatem conſequentem intelligeremus, exinde tamen non ſequi, vt et in voluntatem ſigni conſentiamus, eamque innuamus, quando de voluntate antecedente loquimur. Nam voluntas decreti eſt ea, qua Deus ipſe aliquid facere ſecum conſtituit; Voluntas vero ſigni declaratio illius voluntatis, quae Deo actu non competit. Secundo cum Domini reformati voluntatem decreti occultam eſſe et differre dicant ab externa declaratione, nec largiri poſſumus, voluntatem conſequentem cum illorum voluntate decreti conuenire. Concedimus quidem voluntatem occultam, ſed non talem, quae contradicit voluntati declaratae et manifeſtatae. Quoniam haec vero differentia in antecedentibus ſatis diſcuſſa eſt, nolo huic diſputationi vlterius inhaerere. Interea tamen placet, hoc loco egregiam voluntatis antecedentis Dei confeſſionem adnotaſſe, quam §. 441. ſyſtematis ſui, veritate coactus, autor noſter edidit. Audiamus ipſa eius verba: *Interim*, ſcribit l. c. *cum voluntas Dei perfectiſſima non niſi bonum velit*, *adeoque omne bonum ſpectatum in ſe*, *extra nexum cum aliis rebus*, *hinc Deus non auerſetur vllum bonum*, *ſeparatim conſideratum*, *ſequitur*, *quod etiam non auerſetur ſalutem omnium hominum ſpectatam ſeparatim et extra nexum cum ceteris rebus huius vniuerſi*. In Scholio haec verba addit: *In ſcientia adeo ſimplicis intelligentiae*, *in qua Deo res obuerſatae fuerunt etiam ſeparatim et extra nexum cum ceteris*, *Deus non auerſatus fuiſſet ſalutem omnium hominum.* Quid hoc eſt aliud, quam dicere, Deum res omnes non ſolum, quales in ſe ſunt, ſed etiam in nexu cum reliquis conſiderare, et priori reſpectu multas velle, quas poſteriori

 non

non vult? At vero haec ipſa differentia ſupponit voluntatem antecedentem et conſequentem, quam in antecedentibus impugnauerat. Intellexit haud dubie doctiſſimus autor, hanc conſequentiam hinc prono alueo fluere. Propterea ne contradictio adſertis eius imputaretur, hoc monito cauere voluit: *Interim tamen hac ratione Deo nulla tribuitur voluntas antecedens. Nam ſapiens rem vult, hinc eam decernit conſideratam vt totum aliquod, et in nexu cum aliis rebus ac circumſtantiis, quibus mediantibus res obtineri poteſt, quanto magis Deus ſapientiſſimus?* Sed nihil ſane proficit. Nam his verbis tantum probat, Deum, quatenus res, in ſe conſideratas, bonas eſſe iudicauit, et voluit, non decreuiſſe, verum potius eas ad reliquas circumſtantias ante retuliſſe, quam decreuit. Id vero a nobis ambabus, vt aiunt, conceditur; et autor nihil aliud efficit, quam vt probet, voluntatem conſequentem ab antecedente differre.

§. LXXVI.

Auctoris ſententia de voluntate inefficiente refutatur.

Ad aliam controuerſiam nunc delabimur, cui autor noſter occaſionem ſubminiſtrat §. 303. in quo negat *voluntatem Dei ineſſicacem*. Intelligit vero eam voluntatem, quam nos *inefficientem* diximus. Ipſe enim inquit, voluntatem ineſſicacem eſſe, *quae effectum non ſortitur*. Argumentum, quo ſententiam ſuam ſtabilire tentat, hoc eſt:

Si Deo competeret voluntas ineſſicax, h. e. ſi quid vellet, quod tamen non facit, aut non poſſet facere, aut voluntatem ſuam aliquando mutaret;

Sed falſum eſt vtrumque membrum conſequentis:

Ergo etiam falſum eſt antecedens.

Opinio, quam hic tuetur autor, et tota argumentatio eſt conſequens negatae voluntatis antecedentis. Haec enim ſi negatur, et neganda eſt voluntas inefficiens: Quodſi vero conceditur, falſa eſt ſententia autoris noſtri. Itaque cum vindicata ſit noſtra de voluntate antecedente ſententia, totum quoque

quoque illius cadit argumentum. Si in antecedente intelligit voluntatem conſequentem, concedo omnia, quae hoc argumento efficere voluit. Tum vero concluſio haec erit: nulla voluntas Dei conſequens eſt inefficiens. Atque id quidem a nobis non negatur. Quodſi autem voluntatem in genere aut qualemcunque intelligit, nego conſequentiam. Tum enim non adeſt ſufficiens membrorum enumeratio, ſed potius, ſi conſtare ſibi debet propoſitio maior, ita ſupplenda erit:

> *Si in Deo datur voluntas inefficiens, aut Deus non poteſt facere omnia, quae vult, aut voluntatem ſuam quandoque mutat, aut alio reſpectu et propter annexas circumſtantias id efficacius noluit, quod in ſe conſideratum volebat.*

Nunc agnoſco conſequentiam. Concedo etiam, falſum eſſe primum membrum conſequentis; concedo, falſum eſſe ſecundum; ſed nego falſitatem tertii. Non opus eſt, vt illius veritatem probem. Nam in antecedentibus eam ſufficienter probauimus. Quin et oſtendimus, concedi ab ipſo auctore, Deum aliquid in ſe velle poſſe, quod reſpectu aliarum circumſtantiarum non vult. Quando auctor noſter adſerit, plura ad id, vt voluntas effectum ſortiatur, non requiri, quam vt Deus poſſit efficere, quaecunque vult, et quod ſemel voluit, conſtanter velit impoſterum; puto, hanc opinionem refutatam eſſe ſufficienter emendatione argumenti propoſiti. Requiritur enim adhuc tertium, vt ſcilicet idem obiectum alio reſpectu non nolit efficacius. Nam ſi idem, quod vult, alio reſpectu non vult, et quidem vehementius, id, quod vult, nunquam fit, licet omnia facere poſſit, quae vult, et voluntatem quoque ſuam nunquam mutet.

§. LXXVII.

Auctor concedit voluntatem inefficientem certo ſenſu.

Sententiam ſuam auctor noſter repetiit §. 440. Sch. 2. ibidemque adſerit, Dei quidem voluntatem omnem, ſi

 proprie

proprie talis ſit, eſſe voluntatem efficacem, concedi tamen poſſe voluntatem inefficientem, ſed improprie talem: ex ſua enim ſententia voluntatem proprie talem et decretum Dei eſſe vnum idemque. Imo contendit, eos, qui voluntatem Dei antecedentem tuentur, non differre a ſua opinione, ſed ſe illam conceſſurum eſſe, modo dicant, voluntatem antecedentem proprie non eſſe voluntatem. Ad hoc monitum ita reſpondeo: Si doctiſſimus autor per voluntatem improprie talem idem intelligit, quod nos per antecedentem, et ſi voluntas proprie talis ipſi idem eſt, quod nobis conſequens, concedo, inter nos hac in re non dari diſcrimen, niſi in terminis. Ipſe enim diſtinguit inter voluntatem improprie et proprie talem; nos inter voluntatem antecedentem et conſequentem. His vero terminis, quemadmodum vult, idem ſignificatus ſubiiciendus eſt. Sed, quaeſo, cur antecedens non eſt propria voluntas? Haec ſane quaeſtio decidenda foret ex definitione voluntatis, quam auctor nullibi ſuppeditauit. Intelligent hinc lectores noſtri, me ſtatim ab initio huius ſectionis polemicae non immerito deſideraſſe aliam voluntatis diuinae demonſtrationem, et quidem eam, quae ducta eſſet ex diſtincta voluntatis idea.

§. LXXVIII.

Refutatur ſententia, decretum eſſe actionem immanentem.

Decretum diuinum, inquit auctor §. 390. eſt voluntas Dei de actualitate huius mundi, vel quatenus in genere apud ſe conſtituit, vt aliquid fiat. Nihil habeo, quod contra hanc definitionem monere poſſem. Sed quando ex illa probare vult §. 391. *decretum Dei eſſe actionem immanentem*, hanc propoſitionem concedere illi nequeo. Ipſe dixerat §. 389. actionem *immanentem* eſſe eam, quae tendit ad aliquid in Deo, et *transeuntem*, quae tendit ad aliquid extra Deum. Monuerat quoque in Sch. ad §. 389. actionem tranſeuntem eſſe eam, *per quam contingentia efficiuntur.* Atqui hinc potius efficere debuiſſet, decreta Dei eſſe actiones tranſeuntes. Nam per quamcunque actionem Deus con-

tin-

Digitized by Google

tingentibus exiſtentiam largitur, illa eſt actio transiens; (ſecundum auctorem §. 390. Sch. Atqui decretum etc. (per §. 389. Auct.) Ergo etc. Illi vero potius ſic argumentari placuit: quicquid fit in ipſo Deo, illud eſt actio immanens; atqui decretum etc. Ergo. Maiorem probare voluit ex §. 389. ſed ibidem non lego, actionem immanentem eſſe eam, quae a Deo et in Deo fit; verum potius, eam, quae tendit ad aliquid in Deo. Itaque ex hac definitione iſta opinio probari non potuit. Si decretum Dei foret actio immanens, ſecundum auctorem noſtrum tendere deberet ad aliquid in Deo. Id vero quomodo dici poſſet de decreto creationis, praedeſtinationis, aut huius generis alio, cuius terminus ad quem manifeſto eſt aliquid extra Deum?

§. LXXIX.

Praeſenſit obiectionem ex definitione actionis transeuntis deſumptam: *Si actio transiens eſt ea, per quam contingens exiſtentia donatur, et decretum Dei contingentia reddit exiſtentia, illud quoque eſt actio transiens.* Idcirco excogitauit aliquam defenſionem; ſed fruſtra: inquit enim, diſtinguendum eſſe inter decretum, et illius executionem; per hanc res extra Deum produci, per illud vero tantum, vt producatur, ſtatui; ſed facile praecludi poteſt haec elabendi via. Nam decretorum illa executio eſtne actio diuina, an aliena? Eſt, inquis, diuina. Si eſt, quaero, num ſit actus intellectus, an voluntatis? Si prius affirmares, tibi ſtatuendum foret, Deum longo poſt durationis interuallo res illas cognoſcere, quas ab aeterno decreuerat. Si eſt voluntas, erit decretum. (vid. Auct. §. 440. Sch. 2. Similiter, ſi executio eſt actio diuina, et longo poſt durationis interuallo de[illegible] ſequitur, in Deum ſucceſſio caderet. Vindiciae refutationis.

Digitized by Google

Dei, ſed alienam, nemo facile dixerit. Qui enim aliud ens decretum Dei de mundi exiſtentia exequi potuiſſet, cum adhuc nihil, praeter Deum, adeſſet. Ratio, quae effecit, vt autor noſter decretum ab illius executione diſcerneret, eadem eſt, quae alios in transuerſum egit. Scilicet norunt viri docti, omne Dei decretum eſſe aeternum; norunt etiam, poſita ratione ſufficiente poni id, quod per eam eſt: itaque concludunt, aut mundum ab aeterno exiſtere, aut executionem decreti, quae ab ipſo decreto differt, eſſe rationem ſufficientem exiſtentiae mundi. Cum vero prius ſit contra ſcripturam, imo etiam contra rationem, executionem decreti, volunt, rebus exiſtentiam ſuam largiri, eandemque ab ipſo decreto differre. Qui vero ita non ſtatuunt, ſed aeternum Dei decretum ſolum eſſe rationem mundi exiſtentiae, contendunt, ad aliud extremum quandoque delabuntur, atque hunc mundum aeternum eſſe affirmant. Vtriusque opinionis fundamentum eſt, quod hanc conſequentiam legitimam eſſe ſibi perſuadent:

Si decretum Dei aeternum eſt, et praeterea ratio ſufficiens exiſtentiae mundi, hunc quoque ab aeterno exiſtere oportet.

At vero haec conſequentia ſibi non conſtat. Poteſt decretum Dei aeternum eſſe; poteſt mundi exiſtentia ab eodem dependere; et tamen neceſſum non eſt, vt mundus etiam ab aeterno exiſtat. Quandoquidem vi canonis, *poſita ratione ſufficiente ponitur id, quod per eam eſt*, tale rationatum exiſtere oportet, qualis eſt ratio. Iam vero decretum Dei de huius mundi exiſtentia eſt decretum de mundo in tempore orituro, adeoque ratio ſufficiens exiſtentiae mundi, qui habet initium. Quodſi igitur mundus hic ab aeterno extitiſſet, longe alius exiſtentiam nactus fuiſſet, quam decretus erat a Deo. Itaque per aeternum Dei decretum de mundo in tempore extituro non potuit non mundus initium habens effici. Hinc manifeſtum eſt, aeternitatem decreti, quae ratio ſufficiens

ficiens eſt exiſtentiae mundi, non inuoluere huius aeternitatem. Neque praeter decretum illud aliud quid requiritur ad exiſtentiam rebus actu conferendam. Deus non eſt vt artifex homo, qui opus faciendum primo concipit, tum decernit, poſtremo efficit. Non vtitur externis mediis aut inſtrumentis ad efficiendum id, quod decreuerat. Quando inquit, fiat, h. e. quando vult, vt fiat, fit. Voluntas enim eius eſt omnipotens, et decretum efficax. Hinc illi, qui executionem decreti ab ipſo decreto diſtinguunt, tanquam duas peculiares Dei actiones, Deum hominibus nimis adſimilare, et in ſubtilem anthropomorphiſmum incidere mihi videntur.

§ LXXX.

Abſolutum decretum ex mente auctoris et aliorum.

His praemiſſis accedam nunc ad principalem theſin, quae mihi circa doctrinam de decretis diuinis impugnanda eſt. Notiſſima eſt illa de ABSOLVTO DECRETO controuerſia, per quod intelligi plerumque ſolet abſoluta hominum ad vitam aut ad mortem deſtinatio, quae a theologis PRAEDESTINATIO et REPROBATIO appellatur. Sed ſi vocem ipſam atque vſum quibusdam receptum ſpectemus, latius extendi poteſt, quam ad ſolam hominum praedeſtinationem et reprobationem. Quandoquidem terminus generalis, et quemadmodum plura ſunt, quae a Deo decernuntur, ſic de aliis rebus, ab aeterna vita vel morte hominum diuerſis, abſolutum quoddam decretum fingi poteſt. Autor noſter mentem ſuam ita declarauit: *decretum Dei quatenus verſatur circa media et fines, dicitur abſolutum* §. 416. Atque hinc concludit, *decretum Dei eſſe abſolutum.* Ex illius igitur ſententia, decretum abſolutum eſt decretum finis connexum cum decreto mediorum. Illi opponi deberet decretum finis ſeparatum a decreto mediorum. Hoc ita

ſuam manifeſtare; idcirco etiam decreuit Deus hominibus ſalutem conferre; ideo et decreuit illis fidem dare. Haec ſunt, quemadmodum auctor noſter vult, decreta abſoluta. Sed vehementer dubito, quin et ſocii eius in hanc termini definitionem conſenſuri ſint. Quando de abſoluto decreto diſputatur, quaeſtio non eſt, num Deus etiam media decernat, quando decernit finem; ſed potius, quaenam ſit ratio ſufficiens aut cauſa impulſiua finem iſtum particularem decernendi? Non quaeritur, vt caſu ſingulari ſtatus controverſiae illuſtretur, num Deus etiam decreuerit fidem homini dare, quando ad ſalutem eum deſtinauit; ſed potius, cur hunc hominem ſaluare, alium vero damnare decreuerit? Nos dicimus, cauſam aut rationem huius decreti eſſe praeviſam quandam obiecti conditionem, relatamque ad finem vltimum; reformati vero nullam aliam rationem, quam ipſam Dei voluntatem, allegant, ita vt Deus decreuerit, quoniam voluit. Teſtis eſt ipſe CALVINVS, qui in *Inſt. Rel. Chriſt. Lib. III. cap. XXI.* §. 5. inquit, *praedeſtinationem multis cauillis inuoluunt, praeſertim vero, qui praeſcientiam eius cauſam faciunt. Ac nos quidem vtramque in Deo ſtatuimus, ſed praepoſtere dicimus alteram alteri ſubiici.* Cap. ſeq. contra eos prolixe diſputat, qui ſtatuunt, *Deum eos, quos gratia ſua fore non indignos praecognoſcit, eos in filiorum locum cooptare; quorum ingenia ad malitiam et impietatem propenſura diſpicit, eos mortis damnationi deuouere.* Suffragatur ANDREAS RIVETVS, qui diſertis verbis adſerit, praeſcientiam Dei eſſe conſectarium illius praedefinitionis. Negat expreſſe, Deum ideo futura praeuidere, quia ſunt futura, ſed potius ex ea cauſa ſcire docet, quoniam omnia decreto eius ſunt determinata. Vid. *Diſp. de Prou. Opp. T. II. p. m. 1154.* Et quando de rationibus diſputat, quibus commotus Deus lapſum protoplaſtorum permiſit, tandem totam orationem ita claudit: *ſed recte, qui ſapiunt, has omnes rationes, et ſi quae ſunt aliae, reſoluunt in liberrimam Dei voluntatem ac beneplacitum, tanquam ſuarum actionum ſupremi Domini.*

Digitized by Google

Domini. Vid. l. c. p. 1157. His plura alia addi poſſent teſtimonia, ex quibus omnibus pateret, voluntatem et decretum a dominis reformatis Deo tribui, ratione obiectiua deſtitutum. Omnium inſtar eſſe poteſt decretum illud totius SYNODI DORTRECHTANAE, cui omnium fere eccleſiarum reformatarum doctores ſubſcripſerunt, et quo Deo eiusmodi decreta tribuuntur, quae a ſolo eius beneplacito, neutiquam vero a conditione quadam obiecti in ipſo repraeſentata, dependent. Quando enim de electionis decreto loquuntur, Art. IX. de Praedeſt. haec verba ponunt: *Eadem haec electio facta eſt non ex praeuiſa fide, fideique obedientia, ſanctitate, aut alia aliqua bona qualitate et diſpoſitione, tanquam cauſa ſeu conditione in homine eligendo praerequiſita.* Et Art. X. hanc ſententiam tuentur: *Cauſa vero huius gratuitae electionis eſt ſolum Dei beneplacitum, non in eo conſiſtens, quod certas qualitates ſeu actiones humanas, et omnibus poſſibilibus, in ſalutis conditionem elegit.* Vid. ACTA SYNODI DORTRECHT. *P. I. p. 250.* Ex hac vniuerſali Patrum huius Synodi doctrina manifeſtum eſt, communem eſſe aduerſariorum opinionem, quod Deus multa decernat, quia vult, neque huius voluntatis vlla ſit ratio obiectiua. Tale decretum illud eſt, quod abſolutum dicere ſolent.

§. LXXXI.

Ex his vero abunde patet, ideam abſoluti decreti longe aliter ab auctore noſtro concipi, quam quidem a ſociis concipi ſolet. Poſſibile eſt, abſoluto decreto, quale ab illo definitur, admiſſo, negari illud, quod a ſuis defenditur, poſſibile vero etiam eſt, vtrumque ſimul ſtatui. Qui enim docet, Deum, quando finem particularem decernit, ſimul media decernere, nec negat nec affirmat, finem illum decerni ex ratione obiectiua. Videamus igitur, num ex alio

Auctor ſtatuit verum abſolutum decretum.

Digitized by Google

rit enim grauiſſimas ſententias, quae abſoluto eiusmodi decreto opponuntur. Nam §. 405. probat, *decretum Dei habere rationem obiectiuam;* §. 432. docet, *praedeſtinationem factam eſſe ob rationes obiectiuas;* concludit inde §. 433. *eam non factam eſſe plane arbitrario;* imo et §. 434. hanc theſin ponit, *eum, quem Deus elegit, aliquid in ſe habuiſſe, quod alter, quem reprobauit, non habuit,* Porro §. 435. *fidem et ſanctitatem praeuiſam,* inquit, *eſſe id, ob quod Deus hominem ad ſalutem elegit;* et has propterea §. 436. vocat *ſalutis conditiones.* Haec cum legerem, non procul aberam ab opinione, auctorem noſtrum abſolutum illud decretum, ratione ſcilicet obiectiua deſtitutum, prorſus negare. At vero non ſecus ſentire eum, ac omnes eius ſocii, facile intellexi, cum ſequentes meditationes expenderem. Nam §. 437. adſerit, *fidem et ſanctitatem iſtam, quas modo conditiones ſalutis dixerat, a decreto et praedeſtinatione dependere.* Quod quidem ſi ſano ſenſu intelligatur, concedi poteſt: fides enim eſt opus Dei, nec quisquam ex ſuis viribus credere poteſt; ſed ſi iuxta auctorem explicetur, abſolutum decretum inde manifeſto conficitur. Nam ſi quaerimus, quaenam ſit ratio, cur vni fidem dare, alteri eandem non dare decreuerit; nulla profecto eſt, quam reddendam eſſe putat. Quandoquidem et ipſe praeſcientiam poſtponit decreto. Sic enim diſertis verbis in fine Sch. 2. § 438. *Siquidem, dum Deus praeuidit, quod hic crediturus ſit, id prius decreuerit, oportet.* Et §. 437. docet: *praeſcientiam et decretum Dei aeque late patere,* nec minus Sch. 2. *quicquid futurum eſt, a decreto Dei venire.* Fides igitur, ob quam Deus hominem ſaluare ſtatuit, iuxta auctorem noſtrum absque ratione obiectiua decernitur. Sed hoc decretum eſt abſolutum, etiam ex communi definitione Itaque non recedit ab ea doctrina quam nos conſtanter impugnauimus. Eſt enim vnum idemque, ſiue ſtatuatur, homines ad ſalutem praedeſtinari ſine ratione obiectiua, ſiue adſeratur, eos quidem ad ſalutem ob rationes obiectiuas, ſed ad ſalutis media ſine illis praedeſtinari. Nolo ad controuer-

ſiam

ſiam theologicam deſcendere; Nolo de praedeſtinationis decreto, ex mente aduerſariorum, ſpeciatim diſputare: Nolo magnum diſſenſum inter theologos noſtros et reformatos oſtendere, quem conſtanter negant aduerſarii; ſed id vnicum mihi nunc datum eſt, vt ſecundum rationes philoſophicas inquiram, num tale decretum, quale hic fingitur ab aduerſariis, poſſibile ſit, nec ne?

§. LXXXII.

Prima ratio contra abſolutum decretum.

Quaeritur ergo, num Deus, ſi ex vniuerſa hominum multitudine, quorum vnusquisque mortem promeruit, reliquis neglectis, ſolius Caii miſereri, illique ſalutis media dare decreuiſſet, id ſtatuere potuiſſet absque vlla conditione in Caio praeuiſa et ab eius decreto non pendente? Auctor noſter quaeſtionem affirmat, et hoc ipſo abſolutum quoddam decretum ſtatuit; ego vero eandem nego, et propterea tale abſolutum decretum reiicio. Idque ex his potiſſimum rationibus. Primo tale decretum nullam haberet rationem ſufficientem. Nam in Caio nihil fuiſſe ſupponitur, ex quo intelligi poſſet, cur illi ſalutis media dare, Titio vero eadem denegare voluerit. Itaque decreuit ſine ratione obiectiua. Si qua ergo fuit ratio, illam fuiſſe oportet ſubiectiuam. Haec autem plane non eſt ſufficiens. Id enim primo auctor ipſe agnoſcit §. 234. et propterea quoque vult, decreta Dei habere rationes obiectiuas, §. 405. Tum vero et inde conſtat, quoniam ex ratione ſubiectiua nunquam ſufficienter cognoſci poteſt, cur hoc potius obiectum electum ſit, quam aliud. Ratio ſubiectiua eſt repraeſentatio alicuius rei in ipſo agente vel volente. Si ab obiectiua ſeparatur obiecti nulla habetur ratio, non attenditur illius conditio, non comparatur cum fine, aut reliquis obiectis, quibus electione praefertur. Vnde manifeſtum eſt, ſolam rationem ſubiectiuam nunquam ſufficientem eſſe. Itaque fatendum eſt, aut Deum velle aliquid

Digitized by Google

eligit. Quapropter quando Caio ſalus et media ſalutis decernuntur, haec quoque media ad finem Dei vltimum conuenientiſſima erunt, atque hinc certe conuenientiora, quam ſi media ſalutis huic homini decreta non fuiſſent. Iam vero decretum, contra quod diſputamus, tale fingitur eſſe, quod non praeceſſit aliqua obiecti conditio. Supponuntur obiecta aequalia; ſupponitur, nullum eorum aliquid habuiſſe, quod volentem ad hoc eligendum magis inuitare potuiſſet, quam ad aliud; ſupponitur, a mero Dei beneplacito pependiſſe, quod hoc obiectum elegerit, neque potius aliud. Ergo dum reliqua reprobat, perinde eſt, ac ſi id non elegiſſet, quod actu elegit. Itaque reprobatio quorundam hominum, quando nonnulli ſine ratione obiectiua eliguntur, eſt medium maxime inconueniens ad finem Dei vltimum. Nam ſi eum, quem elegit, non elegiſſet, medio ad hunc finem inconuenientiori vſus fuiſſet, vt ab initio §phi demonſtratum eſt. Hinc tale decretum violat leges ſapientiae. Poſſum id quoque tali argumento probare. Homines ſupponuntur omnes eiusdem conditionis. Nihil in vno eſt, quod illius magis quam alterius electionem ſuadere poſſet. Igitur quando vnus eligitur, et alter reprobatur, perinde eſt, ac ſi idem reprobatus foret, quem elegit. Nam qui reprobatur cum illo, qui eligitur, ex hypotheſi eiusdem eſt conditionis. Iam vero aut electio aut reprobatio eiusdem hominis conuenit cum fine Dei vltimo. Ergo quando vnus eligitur, et alter reprobatur, absque ratione obiectiua, aut illius electio, aut huius reprobatio fini Dei vltimo repugnabit. Vides demonſtrationem apertam, qua euincitur, tale decretum cum ſapientia Dei non conſiſtere.

§. LXXXIV.

Obiectio quaedam reſoluitur.

Solent, qui pro abſoluto decreto tanquam pro aris et focis pugnant, excipere, Deum vtique habere rationem hunc eligendi et alterum reprobandi, ſed nobis ignotam. Sit ita. Quaero autem, num haec ratio occulta ſit repraeſentatio conditionis in obiecto, aut potius aliud quid. Si prius, dant nobis, quod poſtulamus. Sin vero poſterius, illis difficultatibus premuntur, quas §. 82. 83. obieci. Inquiunt, propoſitum miſericordiam et iuſtitiam demonſtrandi effeciſſe, vt alter eligeretur, alter vero reprobaretur. Eſto ita. Sed et miſericordiam et iuſtitiam demonſtraſſet, ſi Caium, quem elegit, reprobaſſet, et Titium, quem reprobauit, elegiſſet. Itaque rationis ſpeciem non ipſam rationem decreti reddunt.

§. LXXXV.

Verior ſententia adſtruitur.

His probe ponderatis, conuenientius et Deo dignius eſt, dicere, eum quidem omnibus opem ferre voluiſſe, ſed quoniam praeuidit, quosdam, vt actu fit, gratiam ſuam ſpreturos, alios vero eandem admiſſuros eſſe, illos damnationi, hos ſaluti deſtinaſſe. Reliqua, quae magis ad forum theologicum pertinent, nunc intacta relinquimus, aliique tempori et ſcripto, ſi Deo placebit, reſeruamus.

VA 1529492

Digitized by Google